

Tract. jur. civ.

1694 t

N<sup>o</sup> 1393 Rep  
II

SUCCESSIO  
AB  
INTESTATO CIVILIS  
IN  
SVAS CLASSES  
NOVA METHODO  
REDACTA

3203

A  
IO. CHRISTOPH. KOCH D.

IVR. P. P. O. ACAD. SYND. SEREN. HASS.  
LANDGR. A CONSIL. REGIM. ET  
AVL. COM. PAL. CAES.



GIESSAE 1768.

IMPENSIS IO. PHILIP. KRIEGER,

7701

SYCCRESSIO

AB

INTERSTATO CIVILIS

IN

SYAS CLASSIS

NOVA METHODO

REDACTA

A

JO. CHRISTOPH. KOCH D.

IVR. N. O. ADAM SYND. SEREN. MASS.

LAMBERG & CONSIL. REG. M. ET

AVL. COM. PAL. CAES.



QUELLE 1768.

IMPRESSE JO. PHILIP. KRIEGER

VIRO

MAGNIFICO ET ILLVSTRI

D. FRANCISC. IVSTO  
KORTHOLTO

ACAD. GISSENSIS PROCANCELLARIO  
ET ANTECESSORI PRIMARIO

NEC NON

VIRO

I L L V S T R I

EXCELLENTISSIMOQVE

D. IOACHIMO  
ERDMAN. SCHMIDT

IVRIS PVBL. FEVD. ET HISTORIARVM  
IN ACAD. IENENSI PROFESSORI ORD.

CONSIL. AVL. SAXON.

PATRONIS SVIS

MVLTVS NOMINIBVS  
PERQVAM COLENDIS

GRATITVDINIS  
ET OBSERVANTIAE  
TESTANDAE CAVSSA

HVNCCB

LIBELLVM SINGVLAREM

D. D. D.

A V C T O R :



## PRAEFATIO.

**T**rado tibi, B. L., *successionem ab intestato civilem in suas classes nova methodo redactam*, cuius libelli primas lineas iam duxi in *Specim. compend. Pandectarum* lenae 1757. evulgato. Non puto facile casum successionis ab intestato civilis occurrere posse, qui hoc libello non comprehendatur. Sed si me etiam mea falleret opinio, nemo me ideo vituperandum existimabit, quia omnium habere memoriam, divinitatis magis, quam mortalitatis est. Omnia, quantum possibile fuit, ad principia reduxi genuina, & methodus, a me adhibita, huic doctrinae semper mihi visa est accommodatissima, luculentissimaque. **IUSTINIANVS** in *Novella 118.* non egit *Doctorem*, sed *Legislato-*  
*rem.*

P R A E F A T I O.

*rem.* Tam cathedrae quam foro in-  
fervire studui. Ideo quaestiones con-  
troverfas celebriores recensui cum va-  
riis Ictorum opinionibus, & ubique  
celebratissimos Doctores, & nullum  
quidem, quem non ipse evolverim,  
allegavi. Successionem feudalem, &  
aliam, quae iure regitur singulari,  
praetermisi, forsan alio tempore in  
singulari libello de iis acturus.

De *illustris Viri, CAROL. FERD.*  
*HOMMELII Palingsesia* iudicium me-  
um ut hoc loco feram, plures fue-  
runt causae: nec, loco plane alieno  
id factum esse, videri alicui debet, cum  
de *fonte* iurisprudenciae & quidem ta-  
li, qui iudice *HOMMELIO*, *suppelles*  
*est adeo necessaria ut ea vix sine pudore*  
*quis cariturus sit*, quovis in scripto, ad  
iurisprudenciam pertinente, iudicandi  
locus sit competens. Vale. Dabam  
Gießae d. XIX. Sept. MDCCCLXVII.

CON-



# CONSPECTVS LIBELLI.

*SECT. I. Generalia continens.*

*SECT. II. de successione ab intestato cognatorum ex NOV 118.*

*Classis I. Descendentium.*

*Classis II. Ascendentium propiorum, fratrum sororumve bilateralium superstitum, & praemortuorum praemortuarumve filiorum filiarumve.*

*Classis III. Fratrum sororumve unilaterialium superstitum, & praemortuorum praemortuarumve filiorum filiarumve.*

*Classis IV. Cognatorum reliquorum propiorum collateralium.*

*SECT. III. De successione ab intestato cognatorum ex iure Saxonico.*

*Classis I. Descendentium.*

*Classis II. Ascendentium.*

*Classis III. Collateralium.*

*SECT.*

CONSPECTVS LIBELLI.

*SECT. IV. De successione ab intestato ex specialibus causis.*

*SECT. V. De successione ab intestato praetoria.*


*AVCTARIVM I. Ascendentium successio utrum fiat ex tunc, an ex nunc?*

*AVCTARIVM II. De successione nepotum; ubi & de VAL. FORSTERO.*

*AVCTARIVM III. Aenigma proponit: ubi & de HOMMELII Palingenesia iudicium fertur.*



*SECTIO.*



## SECTIO I.

### GENERALIA CONTINENS.

*Scripta* ad illustrandam & explicandam hanc doctrinam inservientia exhibet, praeter STRUVIO-BYDERIANAM, & HOFFMANNIANAM, *Bibliotheca iuridica LIPE- NIANA* edit. NOV. *Lipsiae* 1757. sub voc. *successio ab intestato.*

#### §. 1.

*Quotuplex successio ex iure romano.*

*Ius succedendi in hereditatem iure romano vel aestimatur ex iure civili, vel ex iure praetorio, sub bonorum possessionis nomine. Utroque iure hereditas defertur vel ex testamento vel ab intestato. Ergo successio vel est testamentaria, vel ab intestato s. legitima.*

#### §. 2.

*De successione pactitia secundum ius romanum.*

*Successionem, quae ex pacto venit, improbarunt Romani, ob fraudes hereditaria*

A

peta-



petarum frequentes & admixtum eiusmodi pacto captandae mortis votum: praeterquam si milites, in discrimen praelii pergentes, invicem essent pacti, ut alter qui supervixisset, alterius, cui casus finem attulisset, bona haberet, l. 19. C. de *paetis*; aut si de *tertii* hereditate pactum fieret, sed scientis, consentientis, & in ista voluntate perseverantis. l. *fin.* C. *eod.* CHRIST. THOMASIVS in *diss.* de *iniusto iure hereditarum* & in *diss.* de *captatoriis institutionibus*; CORNELIVS van BYNKERSHOECK in *Opusc.* op. 5. 10. HENR. CHRIST. de SELCHOW in *Element. antiquit. iur. rom.* §. 697.

§. 3.

*Secundum ius germanicum.*

*Germani* successionem *pactitiam* nunquam improbarunt, potius ea contra *irruens ius romanum servata*, & in *viridi* apud nos est *observantia*. conf. HEINECCIUS, ENGAVIVS, PÜTTERVS, EISENHARTIVS & de SELCHOW in *compendiis iuris germanici*, & ab illis excitati *scriptores speciales*.

§. 4.

*Successio ex iure civili veteri.*  
*Successionis romanae civilis ab intestato*  
 alia

alia ratio fuit ex iure *veteri*, alia est ex iure *novo*.

Iura *antiqua*, *causam* successionis in eo, quod quis ad familiam defuncti pertineret, collocantia, & omnes qui non erat de *familia* defuncti personas, *sanguine* licet cum ipso iunctas excludentia, BYNKERSHOECK in *Obs. iur. rom.* lib. 2. c. 1. PVFENDORF in *Obs. iur. univ.* T. II. obs. 192. §. 3. *praetor*, *aequitate naturali* motus, vario emendavit modo. *tit. I. de bonor. possess.*

§. 5.

*Ex iure civili novo.*

*Ius civile novum*, per quod successio *ab intestato* nova ratione moderata est, IUSTINIANVM auctorem habet, qui, in *Novella CXVIII.* omnes ab intestato cognationum successiones ordinans, in *iure civili antiquo* immutando iisdem, quibus *Praetor* eodem *temperando & emendando*, usus principiis, habita *solius iuris & proximitatis aequitatisque* ratione, repudiato *familiae & agnationis* aut *patriae potestatis* nexu, ad *vnam aliquam simplicem & naturali iuri* convenientem eas revocavit formam, & cum *suis emancipatos*, cum *agnatis cognatos* ad successionem promiscue admisit. Interim

A 2

IUSTI-



**IUSTINIANVS** de constituendo *iure succedendi* tantum sollicitus, nihil de *modo*, illud vel *ipso iure* vel per *aditionem* adquirendi, sanxit.

Igitur quamuis inter *suos & emancipatos* discrimen sublatum esse antea dictum sit, id tantum de *iure succedendi* accipi par est, cum etiam post *Novellam CXVIII.* *ius sui heredis* illibatum sit, ut *ipso iure* heres existat: quae tamen *sui heredis praerogativa* cum *emancipatis* nullibi communicata legitur. GEORG. LUDOV. BOEHMERVS in *diff. de discrimine suorum & emancipatorum in successione intestati iure novo sublato*. Götting. 1766. *Diff. Nostra de liberis heredibus suis ad probationem abstentionis non obligatis* §. 5.

*Schol.* Vacillat ergo communiter fere adoptata opinio, quasi **IUSTINIANVS** in determinando successione ordine fundamentum iecisset novem, ut ii nempe prae aliis succedant, quos defunctus maxime amasse censendus sit. Qua opinione sibi primum placuit **HUGO GROTIUS**, a quo eam mutavit **VLTRICVS HUBERVS**, quem sequutus **HEINECCIUS** alique fere omnes. Sit ita, concedo, hoc esse fundamentum successione intestati *iuris naturae*, de qua **HELMER. HERM. NATHAN. VVILKENS** in *diff. iur. natur. de successione ab intestato*, Ienae 1754. commentatus est. Interim exinde colligi nequit, idem & esse a **IUSTINIANO** adoptatum.

cum



eum. Ego certissime nec volam nec vestigium ea de re in Nov. CXVIII. invenio. Nec ea, quam HEINECCIUS in *Elem. iur. civil. sec. ord. inst.* §. 742. in rem suam traxit, philosophorum observatio, illi sententiae proderit multum, quin imo eam destruet magis. Et quis unquam concedet, ex ea consequi, ut successio *descendat*; si descendere non possit, *ascendat*; si nec ascendere possit, *ad latus divergat*. Ita HEINECCIUS, ita SCHAVMBURGIVS. A veritate uterque abest longissime. Vera enim si haec essent, fratres germani eorumve filii cum *Ascendentibus* non essent ad successionem admittendi. Admittit tamen illos invicem ad hereditatem IUSTINIANVS. Sane ergo illud a Philosophis petitum simile claudicat.

## §. 6.

In successione ab intestato duplex occurrit quaestio. Una: *quis succedit?* Altera: *in quantum succedit?*

## §. 7.

*Ius repraesentationis.*

*Ius repraesentationis* in successione est privilegium, vi cuius aliquis defuncti parentis locum in successione subit. Is ergo qui ex iure repraesentationis ad successionem admittitur, eam partem accipit, quam defunctus eius parens, si adhuc in vivis esset, fecisset.

A 3

§. 8.



## §. 8.

*In capita* succeditur, si secundum numerum personarum succedentium hereditas dividitur. *In stirpes* succeditur, si vnus aut plures ex iure repraesentationis in successione concurrunt, iique partem parentis defuncti accipiunt (§. 7.).

*In lineas* succeditur, si inter ascendentes defuncti hereditas ita dividitur, vt vna dimidia lineae *paternae*, altera dimidia *maternae*, sine respectu numeri ascendentium in hac illave linea adhuc viventium, cedat.

## §. 9.

*Secundum quas leges in collisione succedatur.*

Successio ab intestato in *omnibus Germaniae* provinciis non eodem regitur iure. Duplex itaque quaestio non infrequenter moveri solet. *Prima: Si iura, quae circa successiones in foro domicilii defuncti obtinent, a iuribus fori rei sitae differunt, iuxta quanam succeditur?* In eo quidem omnes conveniunt, successionem in *mobilia* bona aestimandam esse ex foro *domicilii*. HER-  
TIVS in *Responsis* CCLX. 3. CCCXXIII. I.  
CCCXXVIII. 9. Quoad *immobilia* vero  
alii



alii successionem ex legibus domicilii defuncti, uti in *mobilibus*; alii vero ex legibus fori *rei sitae*, ordinandam esse autumant. Rem hanc solide tractavit FRID. ESAIAS PUFENDORFIVS in *Obs. iur. univers.* T. I. Obs. 28. Nec, quamvis posterior sententia plurimorum assensu suffulta sit, cum *Viro illustri priorem* sententiam amplecti haesito, nisi, ut ipse PUFENDORFIVS excipit, in loco, ubi sita bona sunt, statutum *prohibitorium* adsit, quod de bonis aliter disponi, vel testamenti faciendi facultatem neget.

*Altera quaestio est: Vtrum privilegia-  
tae seu exemptae personae e. g. Clerico, iuxta  
statuta loci, in quo habitavit defunctus, suc-  
cedatur?* Si clericus, uti in variis locis ob-  
tinet, iurisdictioni magistratus oppidani  
in civilibus paret, aiens responsio parum  
difficultatis habet. CHRISTIAN. GOTTLIEB.  
RICCIUS in dem *Entwurf von Stadt-  
gesetzen*, S. 496.

Si vero ab hoc casu discedimus, magnam deprehendimus opinionum discrepantiam. Alii enim nullo bonorum discrimine habito, eam affirmant; CARPZOV. in *Iurispr. Consist.* lib. 3. tit. 1. def. 8. WERNHER. T. I. P. 4. Obs. 142. TRAVGOTT THOMASIVS an *Clerico secundum statuta loci,*



*loci, ubi degit, succedatur?* Lipsiae 1736.  
 Alii simpliciter negant, & successionem vel  
 ex iure provinciali, vel, si nec huic subie-  
 ctus fuerit defunctus, ex iure communi,  
 tam in mobilibus, quam immobilibus ordi-  
 nandam esse censent. SCHILTER in *Inst.*  
*iur. can.* lib. 1. tit. 18. §. 17. & FLOERCKE  
 in *Notis* ad h. l. BOEHMER in *I. E. P.*  
 lib. 3. tit. 27. §. 15. 16. PVEENDORF T.  
 1. obs. 27. Alii, quorum opinio in foro  
 recepta est, inter bona mobilia & immobi-  
 lia distinguunt, & in haec ex statutis loci  
 succedi, licet defunctus fuerit exempta per-  
 sona, non vero in illa; sed eorum intuitu  
 leges provinciales vel communes spectandas  
 esse, aiunt. STRYK in *tr. de success. ab intest.*  
 diff. 1. c. 4. §. 4. HERTIVS de *collisione le-*  
*gum* S. 4. c. 4. §. 34. LAVTERBACH in  
*diff. de domicilio* c. 8. §. 58. Alii huic po-  
 steriori sententiae tunc subscribunt, si cle-  
 ricus in aedibus a iurisdictione magistratus  
 civici exemptis habitaverit. Quod si vero in  
 aedibus, iurisdictioni magistratus civici  
 subiectis habitaverit, successionem etiam in  
 mobilia ex statutis loci fieri debere sibi per-  
 suadent. CHRISTIAN GOTTLIEB RIC-  
 CIVS in dem *Entwurf von Stadtgesetzen*  
 S. 4. 89. u. f. Alii tunc successionem in  
 mobilia ex statutis loci ordinandam esse  
 cre-

credunt, si exempta persona *ius civitatis* adquisiverit. LEYSER Sp. 79. m. 4. Quod tamen non admittit STRYK in *diss. de foro ministr. principis* c. 2. §. 12. seqq. RICCIUS a. a. O. S. 482. *Ordo noster* anno 1766. in lite, quae inter Viduam Superintendentis generalis & Consiliiarii Consistorii supremi Isenacensis, NICKII, & huius cognatos, de successione in bona defuncti NICKII *mobilia*, (nam *immobilia* deerant) gerebatur, illam in sententiam pronuntiavit, quod successio ex *statutis Isenacensibus* non obtineat. Nec quidquam nos movit *ius civitatis Isenacensis* paullo ante obitum a defuncto NICKIO adquisitum. Tales enim personae exemptae, illustri dignitate conspicuae, *ius civitatis* tantum acquirere solent ad certos effectus e. g. vt bona *immobilia* civica acquirere & possidere queant. Quod proinde ad alios effectus produci haud debet. BOEHMERVS in *Cons. & Decis. T. III. P. I. resp. 17. n. 16. seq.*

Quoad Professores, & reliquos cives academicos consulenda sunt academiarum statuta & observantiae, de quibus nonnulla profert RICCIUS a. a. O. S. 498. u. f. In *nostra Academia* Professoribus & civibus academicis ex *statutis civitatis Giesensis* neque in *mobilia*, neque in *immobilia*



bona succeditur; prouti contradicto iudicio novissime in caussa Viduae b. Superintendentis & Professoris theologiae LIEBKNECHTI, & liberorum eius prioris thori, obtentum & a *summo appellationum tribunali*, quod *Darmstadii* est, iudicatum est.

§. 10.

*Secundum quaenam iura Vagabundo succedatur?*

Si Vagabundus, qui scil. *proprium* domicilium sibi non constituit, moritur, dubium non est, quod ipsi ex iuribus fori *originis* succedatur. STRYK. de *success. ab intestato* diss. I. c. 4. §. 6. CARPZOV. lib. 6. resp. 40. Si vero nec forum *originis* haberet, aut id incertum esset, tunc sane ipsi succedendum esse ex legibus loci, *vbi mortuus est*, haud temere arbitror, & de hoc casu intelligo STRUVIVM ex. 38. th. 44.

§. 11.

*Successio ab intestato duplex.*

*Successio ab intestato*, quatenus *iure romano novo* obtinet, generatim *bipartita* est. Vel enim fundamentum *successionis* lex ponit in *cognitione*, vel in *alia caussa speciali*

*ciali. Illa ex iure sanguinis ; haec ex speciali iuris dispositione descendere dicitur, quarum illa hanc ordinarie vincit. Affinium, qua talium, nulla est successio. l. 7. C. comm. de success.*

SECTIO II.

DE SVCCESIONE AB INTESTATO COGNATORVM.

§. 12.

*Cognatorum genera.*

*Cognati, voce largius accepta, dicuntur ii, inter quos nexus est, ortus ex generatione. Proinde, prout vel continuo a se invicem; vel ab vna persona, non vero a se invicem, per generationem descendunt aut descendere finguntur: sunt vel descendentes, vel ascendentes, vel collaterales. Generatio vel est vera & naturalis vel ficta. Haec iterum vel spiritualis vel civilis.*

*Omnes ergo cognati, tam descendentes, quam ascendentes & collaterales, sunt vel veri & naturales, vel spirituales, vel civiles. Cognati veri sunt vel legitime nati vel illegitime nati. Hi vel legitimati vel adhuc illegitimi. Legitimati vel tales per subsequens matrimonium; vel per rescriptum principis,*  
&



& quidem vel *plene* vel *minus plene*. *Ad-*  
*huc illegitimi* vel *naturales*, ex concubina  
 scil. nati, vel *spurii*, vel *vulgo quaesiti*, vel  
*adulterini*, vel *incestuosi*: qui *duo posteriores*  
*speciatim ex damnato coitu* nati dicun-  
 tur, quibus addendi sunt: nati ex *stupro*  
*violento & nec violento nec voluntario*,  
 nati quoque ex *bigamia*. *Cognati veri*  
*collaterales*, speciatim fratres sororesque,  
 sunt vel *germani* s. *bilaterales*, vel *uni-*  
*laterales*. *Hi* vel *consanguinei* vel *uteri-*  
*ni*. *Cognati ficti civiles* iunt vel *adoptivi*  
 vel *arrogati*, *illi* vel *perfecte* vel *imperfecte*  
*tales*. Definitiones horum terminorum,  
 aliunde iam satis notorum, hoc loco stu-  
 dio omisi. Notiones, quas notare operae  
 pretium erit, in sequentibus adiiciam. *Re-*  
*ligionis*, in imperio nostro *adprobatae*, *di-*  
*versitas* in successione ab intestato non at-  
 tenditur.

§. 13.

*Classes cognatorum constituendae.*

Ius successionis ab intestato inter co-  
 gnatos methodo naturali & luculenta do-  
 cturo incumbit, certas cognatorum *classes*  
 constituere: quae non solum diffusam hanc  
 doctrinam faciliorem reddunt, sed etiam  
 memoriam apprime iuvant.

§. 14.

§. 14.

*Quot classes secundum Nov. CXVIII?  
Quot secundum ius Saxonicum?*

Omnes cognati, iuxta ordinem, quem  
in successione ab intestato ex Novella  
CXVIII. tenent, in *quatuor classes* redigi  
possunt & debent. Classes vero sunt hae.

I. Descendentium

II. Ascendentium propiorum, fratrum  
sororumve bilateralium superstitum,  
& horum harumve praemortuorum  
praemortuarumve filiorum filiarum-  
ve.

III. Fratrum sororumve unilateralium  
superstitum, & horum harumve  
praemortuorum filiorum filiarumve.

IV. Cognatorum reliquorum collatera-  
lium propiorum.

In oratione ligata sic sonant:

I. Descendens omnis succedit in ordi-  
ne primo.

II. Ascendens propior, germanus, filius  
eius.

III

III. Tunc latere ex vno frater, quoque filius eius.

IV. Denique proximior reliquorum quisque superstes.

Alia ratio est harum classium ex *iure Saxónico*. Hoc enim iure tres constituendae sunt classes, nempe

I. Descendentium

II. Ascendentium

III. Collateralium.

Schol. Exinde clarissime elucet, falli eos, qui secundum *ius Novellarum* tres tantum supponunt classes, atque se anxie torquent, ut diversos casus loco idoneo explicare queant. Inde accidit, ut de fratrum sororumque bilateralium successione duplici loco, scil. tam in classe ascendentium, quam collateralium, agant. Error hic natus est ex *iure Saxónico*, quod omnino separandum est a *iure Novellarum*.

§. 15.

*Principia circa has classes.*

Generatim quoad has classes probe observandae sunt hae regulae:

I. Quaelibet classis, prout ordine se excipiunt, excludit sequentem, ita, ut quamdiu persona, licet vnica, in prae-





praecedente classe existit, successio non devolvatur ad alteram classem. a)

II. Cognati in eadem classe constituti, non gaudent iure exclusionis inter se, sed omnes simul admittuntur. b)

III. Ea persona, quae ex duplici relatione in *aequali gradu*, qui iam ad successionem admittitur, defuncto cognata est; duplicem portionem capit. STRYK. c. tr. diff. 3, c. 1. § 27. SIMON in *diff. de successione ab intestato ex duplici vinculo duplicitatis*. Ha-lae 1693.

a) Schol. 1. Sic fratris germani alius excludit fratrem unilateralem, quia ille in *secunda* classe, hic in *tertia* classe locum occupat.

b) Schol. 2. Itaque *iure Novellarum* ascendentes non excludunt fratres sororesque bilaterales, aut horum harumve filios filiasve; nec fratres sororesve bilaterales defunctorum fratrum sororumve bilateralium filios filiasve.



CLAS.



CLASSIS PRIMA.

DESCENDENTIVM.

§. 16.

*Non attenditur sexus & sinitas.*

Descendentes ad primam classem pertinent, nulla, inter masculos & feminas, suos & emancipatos, (vide tamen §. 5.) admiffa differentia.

§. 17.

*De iure repraesentationis in hac classe.*

*Ius repraesentationis (§. 8.) in hac classe, nisi expressa dispositio in casu speciali obftet, (§. 27.) aut maculosa nativitas impediatur, in infinitum obtinet. §. fin. I. de hered. quae ab intest. deferuntur. Ideoque datur, attamen in hac sola descendentium successione, repraesentatio repraesentationis.*  
STRYK c. l. diff. I. c. 2. §. 33. seq,

§. 18.

*Vtrum in capita, an stirpes succedatur?*

Descendentes primi gradus succedunt in capita, ulteriorum vero graduum in stirpes:

*pes*: sive *hi soli* sint, sive cum descendentibus *primi gradus* concurrant. COCCETTI  
in *dist. de success. nepot.* l. 1. §. 8. 9.

§. 19.

*Descendentes vel ex vno matrimonio, vel ex pluribus adsunt.*

Descendentes, in successione concurrentes, sunt vel ex *eodem* nati matrimonio, vel ex *diversis*. Si *illud*, *utrique* parenti succedunt *communiter*. Si *hoc*, vel *unio prolium* inita est, vel non. Si *prius*, hereditates secundum *pactum unionis prolium* dividendae sunt. Si *posterior*, *communi* parenti *communiter*, *proprio* vero parenti separatim singuli succedunt: secundum regulas, quae sequuntur. Quo igitur casu separatio bonorum instituenda est.

Notandum etiam est, quod ea, quae *parens communis* binubus binubave ex bonis defuncti coniugis erat affectus, *solis* liberis *prioris thori* *inter se* dividenda maneat: *utpote* in quibus *parens* ob *secundas* nuptias initas, amissa proprietate, *usufructum* tantum retinuit. Haec igitur bona *liberi prioris thori* non tanquam parentis binubi binubave *heredes* iure successione capiunt, sed tanquam *domini* ex iure consolidationis

B

sibi

sibi retinent. l. 3. C. de *secund. nupt.* NO V. 22. c. 23. & 46. LEYSER sp. 300. m. 2. 5. 6. 7. Idem locum habet quoad eam partem, quae ad parentem binubum binubamve filio filiaeve prioris thori cum huius fratribus sororibusve *ab intestato* (non ex *testamento*) succedentem, ex *paterna maternave* substantia pervenit. Nov. 22. c. 46. Putat quidem WEHNHERVS T. I. P. I. Obs. 93. has functiones restringendas esse ad solam *matrem* binubam; & *speciatim* de *illa*, non de *patre*, intelligendam esse dispositionem in Nov. 22. c. 46, censet FACHINAEVS in *Controv. iur.* lib. 3. c. 64. Sed verius est, nullum inter *matrem* & *patrem*, quoad has functiones, admittendum esse discrimen, STRYK de *success. ab intest.* Diff. 12. c. 3. §. 13. BOEHMER in *Consult. & Decis.* T. II. P. I. resp. 431. n. 18. KNORR in *diss. de iure coniugis nuptias iterantis, in bonis propriis & a priori coniuge quaesitis* c. 4. §. 2. ne quidem in casu Nov. 22. c. 46. SANDE in *Decis.* lib. 2. tit. 5. def. 2. LEYSER sp. 300. m. 7. HERTIVS *Resp.* 473. n. 8. seq. *Resp.* 584. n. 9. seq. Saltim *praxis* ita servat, & *Ordo noster* aliquoties ita pronuntiavit.

Tendunt illae dispositiones in favorem *descendentium* ex priori matrimonio,  
nec

nec ad solos filios filiasve restringi debent. VOETIVS ad *Pand.* tit. de *ritu nupt.* §. 106. SANCHEZ de *matrimonio* lib. 7. disp. 89. n. 12. dissent. BRUNNEMANN ad l. 3. C. de *sec. nupt.* n. 10. Hoc interim expeditum est, liberis omnibus prioris thori, vivo binubo patre vel matre, praemorientibus, utramque illam poenam cessare, & hoc eveniente casu proprietatem cum usufructu iterum consolidari, ratasque etiam manere alienationes, vivis prioris matrimonii liberis, factas: non enim proprietatem bonorum ita amittit parens binubus ut statim recta via ad liberos prioris matrimonii transeat, & his pure sit acquisita, sed potius huius poenae persecutio ex conditione incerta suspensa est, si nempe liberi parenti binubo superstites sint; facultate alienandi parenti binubo interim adempta. l. 3. §. 1. C. de *sec. nupt.* NOV. 22. c. 46. VOETIVS c. l. SANDE c. l. def. 1. SANCHEZ cit. tr. lib. 7. disp. 89. n. 37. PEREZ ad *Cod.* tit. de *sec. nupt.* n. 5. In eandem sententiam *Ordo noster* repetita vice ivit. Denique nonnulli opinantur, Pontificem in c. 4. & 5. X. de *sec. nupt.* poenas iuris *romani* in secundas nuptias statutas omnes & singulas abrogasse. Vide modo innumeros Auctores allegatos apud



SANCHEZIVM in *cit. tr.* lib. 7. *disp.* 87. n. 23. WIESTNER in *Iust. canon.* lib. 4. tit. 21. n. 45. *seqq.*

Sed falluntur. Distinguendum scilicet est, inter poenas, quas ius *rom.* in nuptias secundas *festinatas* seu intra *annum luctus* initas statuit in l. 1. 2. C. de *sec. nupt.* Nov. 22. c. 22. & eas sic dictas poenas, quae in casum nuptiarum secundarum *non festinatarum* in favorem liberorum *prioris matrimonii* constitutae sunt in l. 3. C. de *secund. nupt.* & NOV. 22. c. 46. Illas ius *canonicum* sustulit; non *has*; uti *recentiorum Canonistarum* unanimis fere est sententia. vid. GONZALEZ TELLEZ ad c. 5. X. de *sec. nupt.* n. 9. REIFFENSTVEL, PIRHING, PICHLER, SCHMALZGRVEBER, CANISIUS, KOENIG, ENGEL, in *Operibus suis* ad tit. X. de *secundis nupt.* SANCHEZ c. 1. c. 88. SCHMIER. in *Jurispr. canon. civil* T. III. pag. 76. *seqq.* Saltim in *Germania*, nisi statutum aut observantia contraria alicubi exstet, ea, quae in l. 3. C. de *sec. nupt.* & NOV. 22. c. 46. continentur, usu servantur quotidiano, uti *Scriptores pragmatici* testantur; STRYK c. tr. *diss.* 12. c. 3. §. 13. HERTIVS *Resp.* 287. n. 7. *Resp.* 473. n. 10. *Resp.* 522. n. 2. *Dec.* 914. LEYSEE *sp.* 300. m. 3. *seqq.* BOEHMER

MEB



MER. in *Cons. & Decis.* T. II. P. II, resp.  
860. n. 21. KNORR in cit. *diss.* c. 3. 5. *Ordo*  
etiam *noster* in hanc sententiam novissime  
iterum respondit.

## §. 20.

*Descendentes veri legitime nati ex iustis  
nuptiis.*

*Descendentes veri legitime nati ex iustis  
nuptiis, sive sint primi gradus, sive, his  
praemortuis, ulteriorum graduum, succe-  
dunt omnibus ascendentibus legitimis, &  
quidem illi in capita: hi in stirpes; sive ne-  
potes diversarum stirpium soli inter se, sive  
cum liberis primi gradus concurrant. (§. 18.)  
Plures nepotes unius stirpis sine dubio in  
capita succedunt. COCCENI in cit. *diss.* S. 1.  
§. 7. Nec infans tenellus ratione alimen-  
torum vulgo des Ziehegeldes, praecipuum  
accipit. CARPZOVIVS P. 3. C. 15. def.  
33. WERNHERVS P. X. obs. 486. BAR-  
THIVS *dissensu* 437.*

## §. 21.

*Descendentes ex matrimonio putativo.*

*Matrimonium putativum est matrimo-  
nium in se nullum bona tamen fide initum:  
idque, vel utroque coniuge, vel saltim*

B 3.

vno,



*uno, in bona fide existente.* 10. NICOL. J. HERTIVS in *diff. de matrimonio putativo §. 7. seqq. in Comment. & Opusc. V. I. T. I. pag. 245. seqq.* ERNESTVS CHRIST. WESTPHAL in *diff. de veris casibus matrimonii putativi. Hal. 1758. §. 3. 6.* Liberi ex *tali* matrimonio nati, *legitimi* habentur; c. 2. c. 8. c. 14. c. 15. X. *qui filii sint legit.* HERTIVS c. 1. §. 22. ideoque *parenti utrique, & ascendentibus ulteriorum graduum succedunt instar legitimorum, etiamsi vnus coniugum fuerit in mala fide;* (§. 20.) HERTIVS c. 1. §. 23. STRYK c. 1. *diff. I. c. 2. §. 51.*

§. 22.

*De nato ex sponsa.*

Ex *sponsalibus publicis & validis* natus, sponso ante nuptias legitime initas mortuo, aut sponsam deserente, *utrum quoad successionem in bona sponi pro legitimo habeatur?* varie disputatum est. Quidam, *legitimum* partum extra legitimas nuptias non statuentes, & stricto iuri inhaerentes, *spuriis* eos accensent. AVG. RVD. IES. BÜNEMANN in *diff. de Sponsae partu Spurio.* Goett. 1753. Alii tamen in *utroque casu natum* ex sponsa pro legitimo declarant,

rant,



rant, eaque sententia, ob favorem legitimitatis & innocentiam prolis, fere ubivis recepta est. vid. GEORG. LUDOV. BOEHMERVS in *Princ. iur. canon.* §. 399. 10. FRIED. EISENHARTVS in *diss. de nato ex sponsa.* Helmst. 1750. & ab his excitati. add. BARTHIVS *dissensu* 725. De iure *Sax. elect.* res dubio vacat; eo enim iure per expressam *decisionem nov.* 49. pro legitimis sunt declarati. 10. HENR. BERGERVS in *Oec. iur.* p. m. 446. EISENHART cit. *diss.* §. 11.

§. 23.

*Descendentes legitimati per subsequens matrimonium.*

Eodem, quo liberi legitime nati, (§. 20.) iure & modo succedunt legitimati per subsequens matrimonium l. 10. C. de natur. liber. NOV. 12. c. fin. NOV. 18. c. f. NOV. 74. c. 1. NOV. 89. c. 8. c. 6. X. qui filii sint legit.

Ideoque & partus adulterinus, hoc modo legitimatus, parenti utrique succedit. BOEHMER in *L. E. P.* lib. 4. tit. 17. §. 16. seqq. BROKES in *observat. forens.* 77. PVFEND. T. I. obs. 163. De *successione in feuda* sermo nobis neque hoc loco, neque in sequentibus est.

B 4

§. 24.



*Descendentes legitimati per rescriptum principis plene.*

*Legitimati per rescriptum principis plene* scil. ad effectum successionis, parentibus succedunt ut legitime nati; (§. 20.) modo tempore legitimationis nullam prolem legitimam parens habeat, aut si habeat, sub clausula: *non obstantibus liberis legitimis*, legitimatio petita, & indulta sit; NOV. 74. c. 2. NOV. 89. c. 9. *auth. praeterea; auth. item; auth. si quis*, C. de natural. liber. Quo tamen posteriori in casu legitimis liberis legitimam praecipuam esse, communis fere Ictorum schola docet. GAILIVS lib. 2. Obs. 142. CARPZOV. P. 2. C. 6. def. 27. STRYK c. l. diff. I. c. 2. §. 74. GEORG. SAMVEL MADIHN in *diff. de legitime natorum portione legitima in successione cum legitimatis*. Halae 1755. Quam tamen sententiam non temere impugnavit GEORG. HENR. AYRERVS in *diff. de rescripto legitimationis principis plenissimum effectum tribuente, legitimi licet liberi extent*. Gœtting. 1748.

## §. 25.

*Descendentes legitimati per rescriptum principis minus plene.*

Legitimatio, ad *solam maculam* natalium eluendam, facta, liberis legitimatis novum successionis ius haud tribuit, sed quoad successionem in bona parentum retinent qualitatem *illegitimorum*.

## §. 26.

*Descendentes illegitimi naturales.*

Liberi ex concubina nati, *matrī mater-*  
*nisque* ascendentibus succedunt *iure legiti-*  
*me natorum*. (§. 20.). GEORG. ANCKEL-  
MANN in *diss. de successione ab intestato li-*  
*berorum naturalium & spuriorum in bona*  
*matris eiusque collateralium*. Gœtt. 1764.  
c. 2. f. 1. §. 10. seq. Patri vero, *legiti-*  
*tima* ei *sobole* (sub qua & *adoptivi* & *legiti-*  
*mati* comprehenduntur. FRANZKIVS ad Inst.  
lib. 3. tit. 1. c. 7. n. 7.) aut *legitima coniuge*  
extante, plane non succedunt; quam-  
vis debita alimenta ipsis ex hereditate pa-  
tris suppeditanda sint. Legitima vero  
omnino *sobole* non extante, neque *legiti-*  
*ma coniuge, filii & filiae naturales*, quanticun-  
que fuerint, (non tamen *nepotes* l. 12. C.



de *natur. liber.* GABR. PALAEOTVS in  
*tr. de nothiis spuriiisque filiis* c. 38.) ad duas  
 paternae substantiae uncias, cum matre ita  
 partiendas, vt *vnus* filii portionem mater  
 accipiat, vocantur. Requiritur vero, vt  
 mulier in *scemate concubinae* sociata, nec  
 priori concubinae alia superinducta fuerit.  
 NOV. 89. c. 12. NOV. 18. c. 5. *auth.* licet  
 C. de *nat. liber. Paternis ascendentibus* in-  
 distincte non succedunt.

§. 27.

*Descendentes illegitimi spurii.*

*Spurii*, per quos intelligo *liberos ex  
 stupro voluntario natos* & quorum pater cer-  
 tus est; *matrī maternisque* ascendentibus  
 succedunt *iure legitimorum* (§. 20.). §. 4.  
 I. de *success. cogn.* l. 2. 18. D. *unde cogn.*  
 §. 3. I. de *SCt. Orfit.* GEORG. ANCKEL-  
 MANN in *cit. diss.* c. 2. S. 1. §. 10. nisi  
 mater *illustris* sit, & alios *liberos* ex iustis  
 nuptiis procreatos reliquerit: tum enim  
*spurii* matri non succedunt. l. 5. C. ad *SCt.*  
*Orfit.* quod tamen ad matrem *nobilem* non  
 extendendum est. HYBER ad *Inst.* tit. de  
*success. ab int.* §. 7. ANCKELMANN *cit. loc.*  
*Patri* vero & *paternis* ascendentibus *iure*  
*romano* nullatenus succedunt. LAUTER-

BACH

BACH. in Coll. th. pr. lib. 38. tit. 17. §. 19.  
STRUV. Ex. 38. th. 22. Alimenta tamen  
*naturalia*, saltem moribus nostris ipsis a  
*stupratore* suppeditanda, ex hereditate eius  
filio spurio exhibenda sunt.

## §. 28.

*Vtrum in Germania naturales & spurii patri  
succedant in Sextantem?*

Sed iam quaestio momentosa oritur:  
*Vtrum nempe apud nos, deficiente pro-  
le & uxore legitima, successio in sextan-  
tem, de qua in §. 26. dictum est, obtine-  
re debeat?* Hoc inficiari nullus potest, quod  
*concupinatus*, iure romano licitus, legibus  
*patriis* in numerum delictorum relatus sit.  
*Reform. polit. imp. de 1530. tit. 32. de  
1548. tit. 25. & de 1577. tit. 26.* Ergo  
*naturales* liberi in *Germania* iure optimo  
maximo *spuriis romanis* assimilandi esse  
videntur, ut proin hodie neque *naturales*,  
si cui forsitan mulier in schemate concubinae  
sociata fuerit, neque multo minus *spurii*,  
ex stupro nati, patri villo modo succedere  
queant, & successio in sextantem plane in  
*Germania* exulet. Superbit etiam haec  
sententia non solum spectatissimorum  
Ictorum assensu, sed in multis quoque il-  
stribus



sribus collegiis recepta est. vid. HENR.  
 COCCEN Vol. 1. Conf. 13. SIMON VAN  
 LEVWEN in *censura forensi* lib. 1. c. 3. n.  
 10. LÜDER MENCKEN in *system. iur. civil.*  
 lib. 38. tit. 17. §. 8. 10. VOETIVS ad  
*Pandect.* lib. 38. tit. 17. §. 8. 10. BALTHA-  
 SAR. WERNHERVS T. 1. P. 1. Obs. 185.  
 TOB. IAC. REINHARTH in *sel. observ.* ad  
 CHRISTINAEVM Vol. 6. obs. 10. qu. 3.  
 FRID. ESAIAS PVFENDORF. in *Obs. iur.*  
*univ.* T. 1. obs. 89. T. II. obs. 49. DAVID  
 GEORG STRUBE in *den rechtlichen Bes*  
*dencken* 1 Theil n. 48. CAROL. FERD.  
 HOMMELIVS in *Rhapsod.* obs. 89. DECI-  
 SIONES *supr. tribunal. appell. bass. cassell.*  
 T. 1. decis. 26. GODOER, LVDOV. MEN-  
 CKEN in *diff. de successione liberorum natu-*  
*ralium ad spurios non pertinente.* Vit. 1725.  
 GEORG. ZACH. WINCKLERVS in *diff. de*  
*concupinatu.* Lips. 1744. 10. HENR. EBER-  
 HARD in *diff. de successione liberorum natu-*  
*ralium in sextantem paternae hereditatis ex-*  
*sule in Germania.* Marb. 1764.

Sed contraria, in favorem *naturalium*  
 & *spuriorum* concepta, sententia neque  
 splendidissimorum Doctorum numero, ne-  
 que praeiudiciis, quae vocant, *priori* cedit,  
 & praeterea venerabili *aequitatis* pallio ve-  
 stita est. Supponi vero debet, uti omni-

no

no par est, vt stuprata cum vno tantum rem habuerit. (§. 28.) vid. BENED. CARPZOVIVS *Decis.* P. II. 167. SAM. STRYKIVS *diss.* I. c. 2. §. 45. 53. NICOL. CHRISTOPH. LYNCKER *Decis.* 842. CHRISTOPH. PHILIPP. RICHTER in *tr.* de *success. ab int.* S. I. m. 3. n. 9. GEORG. ADAM. STRVVIVS *Ex.* 38. th. 23. WOLFFG. AD. LAVTERBACHIVS in *Coll.* th. pr. lib. 38. tit. 18. §. 18. VLRICVS HVBERVS in *prael.* ad *Inst.* tit. de *success. ab intest.* §. 7. 10. PHILIPPI in *Vsu pract.* *Inst.* lib. 3. eclog. 25. 10. HENR. BERGERVS in *Oec. iur.* lib. 2. tit. 4. §. 37. n. 7. addatur TOB. BARTHIVS *dissensu* 461, & qui iudicium suum suspendit, GEORGIUS ANCKELMANNVS in saepe cit. *diss.* cap. I. S. 2. §. 8. *Facultas iuridica lenensis* hodie adhuc illi, quam semper amplexa est, inhaeret sententiae, prouti perspexi ex actis, coram *praefectura Reinhardtsbrunn* in Thuringia, ventilatis, in quibus an. 1759. *Facultas lenensis* in *affirmantem* indicaverat sententiam. *Facultas iuridica Marburgensis*, iisdem actis ipsi oblatis, an. 1762. in *contrariam* iuerat partem. *Facultas* vero *nostra*, iisdem actis ad nos transmissis an. 1764. in *aientem* aequioremque sententiam discedere non dubitavit.

§. 29.

## §. 29.

*Descendentes illegitimi vulgo quaesiti.*

*Vulgo quaesitum* eum nomino, qui ex *meretrice* natus est, quique ideo patrem certum non habet. *Matri & maternis* ascendentibus is succedit, vt *legitimus*, excepto iterum casu, si mater illustris est & filios legitimos habet. (§. 27.) *Patri*, licet fortassis de eo constet, plane non succedit; nec *paternis* ascendentibus. Successio in *sextantem* (§. 27.) hic exulat, cum, quod in §. 28. de *spuriorum* in *sextantem* successione prolatum est, de *spuriis* ex femina *non-meretrice*, non de *vulgo quaesitis* ex meretrice natis, intelligendum sit. STRUVIVS & BERGERVS cit. loc.

## §. 30.

*Descendentes adulterini & incestuosi.*

*Adulterinus partus* quis sit explicatione non eget. Hoc dubium est, vtrum ex concubitu *mariti* cum *soluta* genitus, pro *adulterino*, an pro *spurio* habendus sit? Iure *rom.* expeditum est, in *solutam* non *adulterium* sed *stuprum* a *marito* committi, ideoque illo iure eiusmodi partum *spurium*, proinde *matri* ab intestato heredem esse. (§. 27.). At cum iure  
cano-



*canonico & germanico concubitus mariti  
 cum soluta, aequè adulterium fit; Institu-  
 tiones MEAE iuris criminalis §. 305. 10.  
 SAM. FRIED. BOEHMERVS in Obs. ad  
 CARPZOV. Quaest. 52. obs. 3. & Quaest.  
 53. obs. 3. talis partus omnino inter adul-  
 terinos referendus nec ad maternam, mul-  
 to ergo minus ad reliquorum in linea  
 materna ascendentium, hereditatem ad-  
 mittendus est. vid. STRYK cit. tr.  
 diff. 1. c. 2. §. 57. VOETIVS c. 1.  
 §. 9. Deinde quinam liberi hoc loco  
 pro incestuosis sint habendi, aequè contro-  
 versum est. Iure rom. inter incestum *iur-  
 is gentium* & *iuris civilis* distinguebatur.  
 In regundis vtriusque finibus MATTHAEI  
 de *criminibus* lib. 48. tit. 3. & BOEHME-  
 RVS ad CARPZOVIVM Quaest. 72. obs.  
 1. defudarunt. Hoc expeditum mihi vi-  
 detur, IVSTINIANVM in NOV. 89. c. 15.  
 de incestu *iuris gentium* loquutum esse.  
 Hodie, cum de incestu *iuris naturalis* dis-  
 putatio, vti constat, nimis salebrofa & lu-  
 brica sit, in eorum castra descendendum  
 esse arbitror, qui incestum *iuris divini* sup-  
 ponunt, & liberos ex incestu *iuris humani*  
 natos, siquidem matrimonium, *spreta* li-  
 cet dispensatione, initum est, legitimis libe-  
 ris; eo vero non contracto, spuris quoad  
 suc-*

successionem annumerant, ideoque ad hereditatem matris & sextantem paternae hereditatis admittunt. S I R Y K c. 1. §. 59. BERGER in *Oec. iur.* lib. 2. tit. 4. §. 37. P V F E N D O R F. T. I. obs. 164. DECISIONES *summi appellat. tribun. Cassellani* T. I. decis. 29. vbi casus de concubitu viduae cum defuncti mariti patruo. Hac vero admissa sententia, evenit, vt in iis provinciis, vbi ea opinio, ac si LEVIT. XVIII. gradus prohibiti sint, regnat, partus pro incestuoso habeatur; qui in alia provincia, vbi in personis nominatim expressis subsistunt, incestuosus in successionis argumento non annumeratur. His praemissis ad ipsam rem accedamus. I V S T I N I A N V S ex *damnato* complexu i. e. adulterio & incestu, natos tam a patris quam matris, omniumque ascendentium hereditate plane exclusit, eosque adeo detestatus est, vt nequidem alendi sint a parentibus. N O V. 89. c. 15. *auth. ex complexu. C. de incestis nuptiis.* Quod *ultimum* tamen alii de alimentis *civilibus*, non *naturalibus*, accipiunt. Quidquid vero sit, iure *canonico* liberis *adulterinis* & *incestuosis* alimenta *naturalia* a parentibus praebenda esse, constans & sana ratione suffulta est *Canonistarum*, in foris nostris recepta, opinio. c. 4. X. de eo qui duxit

duxit

duxit. conf. REIFFENSTVEL, SCMALZ-  
GRVEBER, PIRHING & reliqui *Canoni-*  
*stae* ad cit. tit. X. BOEHMER. in I. E. P.  
lib. 4. tit. 7. §. 9. HUBER in *Prael.* ad  
*Inst.* c. 1. §. 8. BERGER in *Oec. iur.* p. m.  
450. STRYK c. 1. §. 56. ANCKELMANN  
in cit. diff. c. 1. S. 2. §. 6.

## §. 31.

*Descendentes ex stupro violento, aut nec  
violento nec voluntario.*

*Stuprum non consentienti vi illatum, est  
violentum. Non consentienti, nulla tamen  
vi adhibita, illatum, est nec voluntarium nec  
violentum stuprum. Inst. MEAE iur. crim.  
§. 284. Eiusmodi coitus a parte vim infe-  
rentis est damnatus; non vero a parte in-  
nocentis. Ergo natos ex eiusmodi coitu ad-  
miseram flebilemque incestuosorum & adul-  
terinorum partuum conditionem per omnia  
redigere par non erit. Ne quidem tunc, si  
cum stupro violento incestus, aut adulte-  
rium concurrat. Nam posse etiam in vxo-  
rem stuprum committi violentum, expe-  
diti iuris est. C. C. C. art. 119. Puto  
igitur, dictos partus illegitimis naturali-  
bus & spurvis similes habendos, & eodem  
cum his iure (§. 26. 27.) ad hereditatem  
C tam*

tam patris quam matris, lineaeque maternelae ascendendum admittendos esse. Dissentit quodammodo STRYKIVS c. 1. *diss.* 2. c. 1. §. 47.

§. 32.

*Descendentes ex bigamia.*

*Bigamiae* inest etiam *adulterium*. C. C. C. art. 121. *Inst. MEAE iuris crim.* §. 328. Ergo ea, quae de descendens *adulterinis* dicta sunt, (§. 30.) etiam de liberis ex *bigamia* natis valent. Suppono, utrumque coniugem, *bigamiam* contrahentem, in dolo esse. si unus saltem esset in bona fide, nuptiae adessent *putativae*, & liberi *legitimi* forent. (§. 21.).

§. 33.

*Quid? & Quotuplex cognatio Spiritualis?*  
*Descendentes spirituales.*

Cognatio spiritualis est relatio inter personas proveniens ex dispensatione sacramentali baptismatis & confirmationis. Cognatio spiritualis antiquo iure canonico triplex fuit: *Paternitas* nempe, *compaternitas*, & *confraternitas*. Illa est inter baptizantem vel confirman-tem, eorumque uxores & baptizatum vel

vel



vel confirmatum, item inter baptizati aut confirmati patrinum eiusque vxorem, & inter ipsum baptizatum & confirmatum. *Ista* est inter baptizati & confirmati naturales parentes ex vna & inter baptizantem & confirmantem, atque patrilos earumque vxores ex altera parte. *Haec* est inter baptizatum vel confirmatum ex vna, & filios naturales baptizantis vel confirmantis, atque patrilorum ex altera parte. REIFFENSTVEL in *Iur. can. vniuers.* lib. 4. tit. II. n. 27. SCHMALZGRUEBER eod. tit. 2. §. PICHLER eod. tit. n. 2. GRENECK in *Exam. iur. can.* eod. tit. n. 2. seqq. Sed per CONC. TRID. sess. 24. de *reform. matr.* c. 2. *fraternitas* plane sublata, & *paternitas* compaternitasque restricta est. vide *Canonistas citatos.* Quum iure ecclesiastico haec cognatio solum in ordine ad *diuimendum matrimonium* introducta sit, facile patet, eam *ius successionis* non operari. Et proin liberi *spirituales* ad successionem parentum *spiritualium* non admittuntur. LAUTERBACH c. I. §. 17. STRYK c. I. diff. I. c. 2. §. 44.

## §. 34.

*Descendentes adoptivi imperfecte.*

Liberi in patria potestate patris naturalis constituti, extraneo in adoptionem dati, patri adoptivo, nulla emancipatione interveniente, succedunt ab intestato iure suorum heredum: ideoque cum aliis patris adoptivi filiis filiabusve concurrunt, & patris adoptivi parentes excludunt. l. 10. §. 1. C. de adopt. Mirum tamen est, quod patre adoptivo extraneo licentia data sit, si voluerit, nihil filio adoptivo testamento suo relinquere. Filius imperfecte adoptatus neque patris adoptivi uxori neque illius parentibus succedit, quamvis hi in adoptionem consenserint. l. 10. §. 1. in f. C. de adopt. dissent. BOEHMER in *Introd. in ius Dig.* P. 2. p. 308. §. 5. Quoniam vero filius, extraneo in adoptionem datus, in sacris patris naturalis permanet, igitur & ad huius, & matris, & utriusque lineae ascendentium hereditatem vocatur, licet patri adoptivo heres extiterit. l. 10. §. 1. 2. C. de adopt.

## §. 35.

*Descendentes adoptivi perfecte.*

Si pater naturalis filium suum avo materno,

terno,

*terno*, vel si ipse fuerit emancipatus, etiam *avo paterno* vel *proavo*, simili modo vel *paterno* vel *materno*, dedit in adoptionem; ad eum solum respiciat filius, cui eum & natura aggregavit, & lex per adoptionem assignavit & is ei solus pater intelligatur, quem lex fecit, & natura non dereliquit; & ad eam tantummodo filius adoptivus spem totam extendat, & non patris *naturalis* successionem *molestare* concedatur: nisi *avus* & *proavus* emancipatum fecerint filium *adoptivum*: tunc enim iterum ad patrem *naturalem* revertitur.

Ita sanxit IUSTINIANVS in l. 10. C. de *adopt.* Num vero hoc, postquam per NOV. 118, & *emancipati* & *cognati* ad successionem, aequali cum *agnatis* iure, admittuntur, & *cognatio* tanquam *naturalis qualitas* tolli nequit, §. fin. l. de *legit. agnat. tut.* §. 6. l. de *cap. dem.* §. 11. l. de *hered. quae ab int. deser.* mutatum sit, ut post dictam Novellam filius *avo* in adoptionem datus, & ab hoc non emancipatus, etiam *patri naturali* succedat? non vna est omnium Doctorum sententia. Affirmat STRYK c. l. diff. 1. c. 2. 39. 42. Negat BACHOV ad TREVTLER, Vol. 2. disp. 16. th. 2. tit. 1.

Ego STRYKIO accedere non dubito. Hoc expeditum est, quod filius *avo* in adoptionem datus, *matri* adhuc indistincte succedat. Vri vero a *marito* adoptatus *uxori* heres, *qua adoptivus*, nunquam est, ita & idem circa *aviam* hoc casu obtinet: quamvis enim fieri possit, vt, *matre patreque mortuis*, *aviae* paternae maternaeve succedat ab *avo* adoptatus nepos, id tamen non fit ex iure *adoptionis*, sed iure *cognationis*.

§. 36.

*Descendentes arrogati.*

*Arrogati* patri *arrogatori*, iure *suorum heredum* succedunt, nisi ab eo *emancipati* fuerint. l. 10. C. de *adopt.* §. 5. Succedunt etiam *arrogatoris* *ascendentibus* paternis masculis, si hi in arrogationem *consenserunt*. §. 7. l. de *adopt.* Nec *arrogatoris uxori*, nec *arrogatoris matri* aut *aviae* succedunt. Patri *naturali*, si adhuc in vivis & ab eo ante arrogationem *emancipatus* erat, & *ascendentibus patris naturalis* post arrogationem olim non amplius succedebant. Hodie *arrogatum* ab alio filium patri *naturali*, si vti dictum, ille adhuc viveret & filius, *sui iuris* e. g. per *separatam oeconomiam* factus, isque ab altero *arrogatus* esset, vti etiam patris  
natu-



*naturalis* ascendentibus ex *iure cognationis* succedere, facile quivis concedet. (vid. §. praec.) Similiter manifestum est, *arrogatum* ab alio filium ad matris *naturalis eiusque ascendentium* hereditatem ex *iure cognationis* admitti.

§. 37.

*Adoptatus a femina.*

Quamvis *feminae* adoptare alias non possint, quia nec *naturales* liberos in sua potestate habent: ex *indulgentia* tamen *principis*, ad solatium *liberorum amissorum* adoptare possunt. §. 10. I. de *adopt.* l. 5. C. de *adopt.* Hoc modo adoptatus, *matri adoptanti* ab intestato succedit, non vero *eius ascendentibus*. Nec *marito*.



C 4

CLAS.



*CLASSIS SECUNDA.*

ASCENDENTIVM PROPIORVM,  
FRATRVM SORORVMQVE BILA-  
TERALIVM SUPERSTITIVM, ET  
HORVM HARVMVE PRAEMORTVO-  
RVM PRAEMORTVARVMVE  
FILIORVM FILIA-  
RVMVE.

§. 38.

*Connexio.*

Deficientibus descendentibus, succes-  
sionis ab intestato *capacibus*, vocantur una  
& invicem *ascendentes propiores, fratres so-  
roresve bilaterales* & horum harumve filii fili-  
*aeve*. NOV. 118. c. 2. & NOV. 127. pr. &  
c. 1. per quam emendata est dispositio  
NOV. 118. c. 2. & 3. *Regiments-Edict* de  
1521. in *Corp. recess. noviss.* P. 2. pag. 210.

§. 39.

*De iure repraesentationis in hac classe.*

In linea *ascendente* exulat *ius repraesenta-  
tionis*, sed *propior* in *una* linea excludit  
etiam *remotiolem* in *diversa*. Ut ecce: Pa-  
ter



ter excludit avum maternum, matre praemortua: & mater excludit avum paternum, patre praemortuo. NOV. 118. c. 2. Ex fratrum vero fororumve bilateralium prole tantum filii filiaeque iure repraesentationis gaudent. NOV. 127. c. 1. Fratrum ergo fororumve bilateralium nepotes pertinent ad quartam classem.

## §. 40.

*In quantum succedatur?*

Diversi casus sunt separandi.

- I. Si ascendentes soli adsunt, in lineas succeditur, licet in una linea plures inveniantur, quam in altera. NOV. 118. c. 2.
- II. Si ascendentes cum collateralibus concurrunt, illi in capita succedunt. NOV. 118. c. 2. NOV. 127. c. 1. Fratres sororesque in capita, eorum filii filiaeve in stirpes. NOV. 118. c. 3.
- III. Soli fratrum fororumque filii filiaeve, diversarum etiam stirpium, succedunt in capita. Recess. Imp. de 1529. §. 13. & Constit. CAROL. V. de eod. anno in Corp. Recess. P. 2. pag. 301.



## §. 41.

*Diversitas bonorum non attenditur.*

In hac classe, in casu si adscendentes soli adsunt, ad originem bonorum & ex quam linea filius ea affectus sit, respiciendum & divisionem instituendam esse, quidam statuunt. At sine iure. *Praxis* etiam nullum bonorum discrimen in hac classe agnoscit. PAUL. WILHELM. SCHMIDTUS in *diss. de diversitate bonorum in successione ab intestato ascendentium & iure romano & germanico non attendenda.* Ienae 1755.

## §. 42.

*Quid pater praecipuum habeat, & non habeat.*

Si defunctus in patria potestate adhuc fuit constitutus pater praecipit peculium profectitium. STRYK c. l. *diss.* 2. c. 1. §. 6.

Non vero ad *dies vitae usum fructum*, quem vivente filio in peculio adventitio ordinario habuit, retinet NOV. 118. c. 2. per quam sublata est l. 7. §. 1. C. ad *set. Tertull.* VOETIUS c. l. §. II. PAUL. WILH. SCHMID. in *diss. de successione collateralium ab intestato una cum ascendentibus.* Ienae 1755. §. 5. Quidquid etiam differat

tiat

tiat STRYKIVS c. 1. diff. 2. c. 1. §. 25.  
 Sed potius mater & fratres fororesque,  
 eorumque filii pleno proprietatis iure por-  
 tiones suas accipiunt, adeo vt pater ex  
 filiorum filiarumque portione, quam ex  
 fratris fororisve hereditate capiunt, nul-  
 lum sibi vsum penitus vindicare queat.  
 NOV. 118. c. 2.

§. 43.

*De binubo patre matreue.*

De binubo patre matreue liberis *prioris*  
 matrimonii succedente, supra iam exposi-  
 tum est. (§. 19.). Idem & de binubo *avo*  
*aviave*, nepotibus *prioris* matrimonii suc-  
 cedente, valet. STRYK. c. 1. diff. 12. c. 3.  
 §. 13. in f.

§. 44.

*Quinam ascendentes successionis capaces?*

Primo nunc loco *ascendentium* varia  
 genera perlustrabimus, iura eorum suc-  
 cessionis singulatim ostensuri. Quamvis  
 enim pro regula venditari soleat: *quod iu-  
 ra successionum ab intestato sint reciproca,*  
 EARTH. MUSCVLVS in tr. de success. con-  
 vent. Et anomal. membr. 3. n. 129. ea ta-  
 men non solum in variis casibus officium  
 suum

suum perdit, sed rem etiam non semper conficit.

§. 45.

*Ascendentes veri legitimi ex iustis nuptiis tales.*

*Ascendentes veri legitimi, ex iustis nuptiis tales, non solum primi gradus, sed & his deficientibus ulteriorum graduum, omni tamen cessante iure repraesentationis, (§. 39.) succedunt descendentibus veris legitime natis.*

§. 46.

*Ascendentes ex putativo matrimonio.*

Idem obtinet circa ascendentes ex nuptiis putativis, si uterque coniux est in bona fide. Si unus in bona, alter in mala fide existit: Ille successionis capax est; hic ab ea repellitur. (conf. §. 21.) HERTIUS C. diff. §. 22.

§. 47.

*Ascendentes ex sponsalibus publicis.*

Idem iuris est quoad ascendentes intuitu descendentium ex sponsa natorum. (§. 22.)

§. 48.

## §. 48.

*Ascendentes per subsequens matrimonium legitimi facti.*

Idem quoque valet de ascendentibus intuitu descendentium per *subsequens matrimonium legitimatorum*. (§. 23.)

## §. 49.

*Ascendentes per rescriptum principis plene legitimi facti.*

Idem etiam dicendum est de ascendentibus, tam *patre*, quam *matre*, & reliquis, tam *paternae*, quam *maternae* lineae, ascendentibus, intuitu descendentium per *rescriptum principis plene legitimatorum*. (§. 24.)

## §. 50.

*Ascendentes in casu legitimationis per rescriptum principis minus plene factae.*

*Legitimatio per rescriptum principis minus plene facta*, ascendentibus ius aliquod succedendi in bona descendentium illegitime natorum, non tribuit, sed quoad successionem in bona descendentium, hoc modo legitimatorum, retinent qualitatem illegitimorum. (§. 25.)

## §. 51.

## §. 51.

*Ascendentes illegitimi naturales.*

*Mater & materni ascendentes liberis illegitimis naturalibus, iure legitimorum succedunt. (§. 26.) Pater & paterni ascendentes ad hereditatem eorum non vocantur. (§. 26.) vide tamen §. 48. & 53.*

## §. 52.

*Ascendentes illegitimi ex stupro voluntario tales.*

Idem valet de successione in bona spurviorum. Nec mater illustris a successione in bona spurvi repellitur, licet illa legitimos liberos habeat. STRYK c. 1. diss. 2. c. 1. §. 42.

## §. 53.

*Vtrum pater filiis filiabusve illegitimis naturalibus aut spurvis hodie succedat in sextantem?*

Admissa ea sententia, quod filiis filiabusve illegitimis naturalibus & spurvis ex hereditate patris, neque legitimam prolem neque legitimam uxorem superstitem haberis, duae vnciae adhuc hodie debeantur: (§. 28.) pater quoque, dictis liberis illegitimis

timis



timis, neque *prolem legitimam*, neque  
vxorem legitimam, relinquentibus ex *sex-*  
*tante* heres est. NOV. 89. c. 13. AVTH.  
licet C. de *natur. lib.* STRYK c. 1. diff. 2.  
c. 1. §. 42. SEBAST. SCHELKENS de *suc-*  
*cess. ab intest.* c. 3. in fin. Quodsi *contra-*  
*ria* sententia in *liberis* probatur, (§. 28.)  
successio etiam ex *parte patris* cadit.

## §. 54.

*Ascendentes illegitimi ex fornicatione.*

*Vulgo quaesitis mater & materni ascen-*  
*dentes*, eodem quo illegitimis naturalibus  
& spuriiis iure succedunt (§. 51. 52.) *Pater*  
vero & *paterni* ascendentes eodem exclu-  
duntur modo. (§. 51. 52.) Ne *pater* qui-  
dem, licet fortasse de eo constet, *sextan-*  
*tem* lucratur. (§. 29.)

## §. 55.

*Ascendentes adulterini & incestuosi.*

*Adulterinis & incestuosis liberis ascen-*  
*dentes* nullatenus succedunt. NOV. 74. c. f.

§. 56.

*Ascendentes ex stupro violento & nec vio-*  
*lento nec voluntario.*

*Mater innocens, eiusque ascendentes, li-*  
*beris*



beris ex *stupro violento* aut *nec violento nec voluntario* natis, eodem, quo *illegitimis naturalibus & spuris*, succedunt iure (§. 51. 52.) *Stuprator vero violentus* eiusque *ascendentes* penitus exclusi sunt, & *is ne sextantem* quidem accipit. Nam *coitus violentus* intuitu *vim inferentis damnatus*, & *adulterio, incestuive similis* habendus est.

## §. 57.

*Ascendentes ex bigamia.*

*Ascendentes liberis ex bigamia* procreatis plane non succedunt. conf. tamen §. 32.

## §. 58.

*Ascendentes spirituales.*

*Ascendentes liberis spiritualibus* non succedunt. (§. 33.) STRYK c. 1. diff. 2. c. 1. §. 52.

## §. 59.

*Ascendentes adoptantes imperfecte.*

*Pater & paterni ascendentes liberis adoptivis imperfecte* non succedunt: sed *iis parentes naturales* heredes ab intestato sunt. l. 10. §. 1. in f. C. de adopt. De *uxore patris adoptantis* res per se clara est. (§. 34.)

## §. 60.



## §. 60.

*Ascendentes adoptantes perfecte.*

*Avus nepotem, vel proavus pronepotem adoptans, filio adoptivo, nulla emancipatione facta, ab intestato succedit. Olim patrem naturalem excludebat. l. 10. C. de adopt. Sed iure Novellarum patrem matremque naturalem cum avo adoptante in portiones aequales cum STRYKIO admitto. (§. 35.) STRYK c. l. diff. 2. c. 1. §. 36.*

## §. 62.

*Ascendentes arrogatores.*

*Pater arrogator, nulla emancipatione facta, & arrogato filio pubere mortuo, huic succedit, cum patre naturali, qui forsitan vivit, & matre naturali, in portiones viriles. (§. 36. & 60.) Si ascendentes patris arrogatoris in arrogationem consenserunt, hi etiam, sub prioribus conditionibus, arrogato cum eius ascendentibus naturalibus eiusdem gradus, succedunt pro diversitate casuum vel in lineas vel in capita. (§. 40.) Interim inter arrogatos & naturales ascendentes valet quoque regula: proximior excludit remotiorem; (§. 39.) ideoque patre arrogatore mortuo, pater aut mater natura-*  
D lis

lis illius ascendentes, in arrogationem consentientes, excludit.

§. 62.

*Mater adoptans.*

*Femina a se adoptato non succedit ab intestato.*

§. 63.

*Collaterales cum ascendentibus in secunda classe ab intestato succedentes.*

Cum *propioribus* ascendentibus, sive *naturalibus*, sive *civilibus*, adoptantibus scil. perfecte & arrogatis, (§. 60. 61.) STRYK c. l. diff. 2. c. 1. §. 38. ad defuncti ab intestato hereditatem simul vocantur *fratres sororesque bilaterales*, & praemortuorum praemortuarumve fratrum sororumque *fili filiaeve*. (§. 38.) Iam ergo videndum, qui sint *germani* s. *bilaterales fratres sororesque*, & quot eorum genera? deinde, *quinam filii filiaeve fratrum sororumque* ad hanc admittantur classem?

§. 64.

*Germanus frater, germana soror.*

Vulgo quidem ii dicuntur, *germani*, qui ex eodem patre & matre geniti sunt; sed in  
sus-



*Successionis argumento non adaequate & accurate satis: prout ex sequentibus clarissime patebit. Germani fratres sororesve hoc loco sunt fratres sororesve ex iisdem parentibus nati, utrinque quoad successionem legitimi. Utrunque legitimi ex iisdem parentibus hoc loco sunt, qui tum a parte patris, quam a parte matris successionis ab intestato plene capaces existunt. Plene inquam. Nam illegitimi naturales certo casu ex sextante patri heredes ab intestato sunt: (§. 26.) & tamen non sunt germani. Vera ergo est propositio: fratres germani eundem patrem & matrem habent. Sed converti non potest, ut scil. ii, qui eundem patrem & matrem agnoscunt, statim sint germani in sensu iuris. (§. 77.) Sunt ergo sequentes germani.*

*Schol. Inde facile intelligitur, legitimum aliquem esse posse in argumento successionis, qui in alio est illegitimus.*

§. 65.

*Germani ex iisdem iustis nuptiis.*

*Liberos ex eodem matrimonio legitimo natos, germanos esse, ambigendum non est.*

D 2

§. 66.



## §. 66.

*Germani ex iisdem nuptiis putativis.*

*Germani etiam sunt, qui ex iisdem nuptiis putativis nati sunt. (§ 21. 46.)*

## §. 67.

*Germani ex iisdem sponsalibus.*

Huc etiam refero liberos ex *iisdem* sponsalibus publicis natos i. e. ab eodem sponso cum *eadem* sponsa procreatos. (§. 22. 47.) Forſan *caſum* dabilem deſiderabis? Habes in *gemellis* ex *sponsa* natis. Ut alios taceam.

## §. 68.

*Germani ex iisdem parentibus illegitime nati, sed per subsequens matrimonium legitimati.*

Denique huc pertinent liberi ex *iisdem* parentibus nati, & per *subsequens* *matrimonium* legitimati; five omnes *ante* *subsequens* *matrimonium* nati ſint, five hoc modo *legitmati* cum fratribus ex eodem *subsequenti* *matrimonio* natis concurrant.

## §. 69.



§. 69.

*Germani aliquando ex iisdem parentibus illegitime nati per rescriptum principis plene legitimati.*

Dantur postremo *germani*, qui ex *iisdem* parentibus illegitime nati sed per rescriptum principis *plene*, nam *minus plene* facta ius succedendi non tribuit, (§. 25) legitimati sunt. PVFENDORF. T. I. obs. 241. §. 3. Hoc vero promiscue non accipiendum, sed cum distinctione intelligendum est. Refero igitur hic.

I. Si plures liberi ab *eodem* cum *eadem* concubina procreati, ad preces patris a principe plene legitimati sunt; hi enim liberi inter se sunt *germani*.

Probatio e longinquo non petenda. Nam dicti liberi a parte *matris* in *successionis* argumento per se sunt *legitimi*. (§. 26.) Et per *rescriptum principis* cum pleno effectu impetratum & indultum ex parte patris redduntur *legitimi*; Ergo utrinque sunt *legitimi*; Ergo & inter se *germani*. (§. 64.)

II. Si plures liberi ab *eodem* cum *eadem* ex *stupro* voluntario procreati, ad preces patris



patris a principe plene legitimati sunt; hi enim liberi inter se sunt *germani*.

Prior argumentatio hic quoque valet, ob §. 27.

III. Si plures vulgo quaesiti ab *eodem* cum *eadem* MERETRICE procreati, ad preces patris, qui forsan *certus* est, plene legitimati sunt; hi enim liberi inter se sunt *Germani*.

Et hic simili modo argumentari possumus, ob §. 29. Si *casum* *dabilem* rogas iterum provoco ad casum, si ex *meretrice* *gemelli* nascuntur. Suppono tamen, ut dictum etiam est, *patrem* esse *certum*. Quod contradictionem non involvit, licet mater sit *meretrix*.

IV. Si plures liberi ab *eodem* cum *eadem* ex stupro *violento* aut *non voluntario* nec *violento* procreati, ad preces patris a principe plene legitimati sunt; hi enim liberi inter se sunt *germani*.

Rides forsan, cum in *stuprum violentum gladii* poena statuta sit. C. C. C. art. 119. Sed praeterquam, quod haec poena omnem mitigationem non respuat, sed variis ex causis admittat, constat inter omnes, *carnis* delicta tam severe hodie non puniri, uti *aevo Carolino*.

In





In multis provinciis opus esset altero  
torvo *Scauro*, qui, ut ille apud  
IVVENALEM *satyr.* II. vers. 37, clamaret:  
- - *ubi nunc lex Iulia? dormis?*

Ceterum *superius* argumentum hic quo-  
que stringit, ob §. 31. Casum tibi cogi-  
tare poteris, si sumis, ex stupro vio-  
lento natos esse *gemellos*.

V. Si plures liberi ab eodem cum eadem  
ex *adulterio* vel *incestu* vel *bigamia* pro-  
creati, & ad preces *utriusque* parentis a  
principe *plene* legitimati sunt; hi enim  
liberi inter se sunt *germani*.

Res manifesta est. Quoniam enim  
liberi *incestuosi*, *adulterini* & ex *bigamia*  
nati, ex parte *neutrius* parentis in suc-  
cessionis negotio *legitimi* sunt, (§. 30.  
32.) igitur necesse est, ut quoad quali-  
tatem *germanorum* liberis his concilian-  
dam, legitimatio ad *utriusque* parentis  
preces a principe *plene* facta sit.

§. 70.

*Plures germanorum species non dantur.*

Hi sunt *germani*, quos summa atten-  
tione & disquisitione adhibita, meditando  
investigare potui. Nec dari plures, ex

D 4

sequen-



sequenti classe, in qua *unilaterales fratres* recensendi erunt, patebit.

§. 71.

*Germanorum filii filiaeve, qui quaeve admittantur.*

Principium struo sequens: *Germanorum germanarumve fratrum sororumve praemortuorum praemortuarumve filii filiaeve, qui quaeve parentis sui defuncti hereditatis ab intestato plene capaces sunt (§. 64.), si eaeve filii filiaeve in defuncti sui parentis fratris sororisque bilateralis successione ab intestato locum in secunda classe occupant: modo ab hereditate collateralium generatim non sint exclusi. Sic filius adoptivus imperfecte, licet patris adoptivi hereditatis ab intestato plene sit capax; patris tamen adoptivi fratri germano non succedit: cum generatim a successione in linea collateralis sit exclusus. l. 10. §. 1. C. de adopt. Qui vero quaeve filii filiaeve parentis sui hereditatis ab intestato plene capaces non sunt, (§. 64.) si eaeve nec in defuncti sui parentis fratris sororisque bilateralis successione ab intestato locum in secunda classe occupant.*

Ergo hic in subsidium vocanda sunt, quae §. 20 37. de successione descendendum differuimus.

Sic

Sic e. g. filii filiaeve illegitimi naturales, spurii, & vulgo quaesiti, patris sui defuncti fratri sororive bilateralis ab intestato non succedunt. Succedunt vero filii filiaeve illegitimi naturales, spurii & vulgo quaesiti, matri suae defunctae fratri sororive bilateralis: nisi quoad *spurium & vulgo quaesitum* filium filiamve *mater illustris* sit. vid. quoad hanc exceptionem §. 27. 29. & TRYK c. l. diff. 3. c. I. §. 38.

§. 72.

*Successionum casus speciales in hac classe determinantur.*

Iam praeparata sunt omnia, ex quibus speciales in hac classe possibiles casus successionum rite diiudicare valemus. Sequentes sunt:

- I. Si simul adsunt ascendentes, fratres sororesve bilaterales, & horum praemortuorum filii filiaeve; ascendentes & fratres sororesve succedunt in *capita*; fratrum sororumve filii filiaeve in *stirpes*. (§. 40.)
- II. Si simul adsunt ascendentes & fratres sororesque bilaterales, omnes succedunt in *capita*. (§. 40.)
- III. Si simul adsunt ascendentes & praemortuorum fratrum sororumve bilatera-

D s

lium



lium filii filiaeve, *illi in capita; hi in stirpes succedunt.* (§. 40.)

Schol. Sunt quidam non incelebres Iuri, qui fratrum filios solos cum ascendentes, fratre germano nullo concurrente, non admittendos esse censent. Sed contrarium verius est, quia *NOVELLA 127. c. 1.* non *restrictive* sed *exemplificative* intelligi debet. Praxis etiam ita fert. *STRYK c. 1. dist. 2. c. 1. §. 31.* *BERGER in Oec. iur. lib. 2. tit. 4. §. 38. n. 3.* *SANDE in Decis. lib. 4. tit. 8. def. 5.*

IV. Si simul adsunt fratres sororesque bilaterales & praemortuorum fratrum sororumve bilateralium filii filiaeve, *illi in capita; hi in stirpes succedunt.* (§. 40.)

Schol. Quaestio hic exurgit: *utrum frater sororve, qui quaeve e g decem liberos habet, cum praefuncti fratris germani filio unico, in successione cencurrit, eo effectu hereditati renunciare queat, ut nunc successio in capita fiat, quasi solis fratrum filius existentibus?* (§. 40.) Affirmat *STRYKIVS c. 1. dist. 3. c. 1. §. 11.* & *BOEHMERVS in Pos. de ordine succed. c. 4. m. 1. §. 6. seq. in fine tr. de actionibus pag. 810.* Sed rectius negat, praeter alios, *LEYSERVS Spec. 423. m. 4.* Argumentum duco ex *tit. D. si quis ommissa causa testam. ab intestato l. 10.*

V. Si soli adsunt ascendentes, succeditur *in lineas.* (§. 40.)

VI.

VI. Si soli adsunt fratres sororesve bilaterales, succeditur in *capita*. (§. 40.)

VII. Si soli adsunt fratrum sororumve bilateralium filii filiaeve, succeditur in *capita*. (§. 40.)

Schol. Fratrum *germanorum* filios eo casu, si fratres *unilateralis* adesset, ex *iure repraesentationis* in *stirpes*, ad hunc excludendum, succedere debere, cum aliis censet STRYKIVS c. l. diss. 3. c. 1. §. 12. 18. Sed ego contrariam veriore esse credo sententiam, & in NOV. 118. c. 3. magis fundatam. Hoc expeditum est, fratrum filios solos, patruo defuncti germano existente, in *capita* nihilominus succedere. STRYKIVS c. l. §. 13.

### CLASSIS TERTIA.

FRATRV M SORORVMVE VNILATERALIV M SVPERSTITVM, ET HORVM HARVMVE PRAEMORTVORVM PRAEMORTVARVMVE FILIORVM FILIARVMVE.

§. 73.

*Connexio.*

Deficientibus ascendentibus, fratribus sororibusque bilateralibus & horum filiis filiabusve, successionis ab intestato capacibus,

bus, vocantur defuncti *fratres*, & *sorores unilaterales*, & horum harumve, si praemortui sunt, *filii filiaeve*. NOV. 118. c. 3.

## §. 74.

*De iure repraesentationis in hac classe.*

Ex fratrum sororumve unilaterialium prole, tantum *fili filiaeque* iure gaudent *repraesentationis*. NOV. 118. c. 3. *Nepotes* ex fratribus sororibusque unilaterialibus pertinent ad classem *quartam*.

## §. 75.

*In quantum succedatur?*

*Fratres sororesque* succedunt in *capita*, *fili filiaeve* eorum in *stirpes*: nisi hi soli inter se concurrant, quo casu succedunt in *capita*. (§. 40.)

## §. 76.

*Diversitas bonorum quando attendatur?*

In hac classe ob l. 13. §. 2. C. de *leg. hered.*, iure *Novellar.* expresse non sublatam, concurrentibus *consanguineis* & *uterinis* fratribus sororibusve, *praxis* originem bonorum respicit, & ab illis *paterna*, ab his *materna* praecipienda, *reliqua* vero bona inter

inter

inter eos cōmunitè, secundum regulas traditas, (§. 75. § dividenda esse statuit. Quod tamen tantum intelligi debet, de iis bonis, quae frater sororque unilateralis defunctus ex linea paterna vel materna immediate, non de iis, quae a cognatis paternis vel maternis, affectus est. Denique, solis fratrum consanguineorum & uterinarum *filiis filiabusve* inter se concurrentibus, origo bonorum nullatenus est respicienda. STRYKIVS c. l. diff. 3. c. I. §. 22. 25.

## §. 77.

*Unilateralis frater sororve, consanguineus  
& uterinus.*

Vulgo quidem ii, qui *unum* tantum parentem communem habent, nominantur *unilaterales fratres sororesque*. Sed iterum parum accurate. Ego sic definitio: *fratres sororesque, qui quaeve ab uno tantum parente quoad successionem legitimi sunt, hoc loco unilaterales sunt. Et consanguinei dicuntur, si a parte patris; uterini, si a parte matris, legitimi ad successionem existunt.* Generaliter itaque verum quidem est, quod *fratres, diversum patrem vel matrem habentes, non sint germani.* Sed inde non statim sequitur, quod in materia  
suc-



*successionis sint unilaterales.* Deinde quoque plures ab eodem patre cum eadem matre procreati, quamvis *bilaterale* inter ipsos ex generatione intercedat *sanguinis vinculum*, nihilominus in *argumento successionis ab intestato* tantum *unilaterales* esse possunt *fratres sorores*. e. g. plures *spurii* ab eodem cum eadem procreati in *successione ab intestato*, *unilaterales*, & quidem *uterini*, habentur. Falsum ergo est, quod *fratres*, utrumque parentem communem habentes, statim sint *germani* s. *bilaterales* in *sensu iuris*. (§. 64.) Sunt vero *unilaterales* sequentes.

§. 78.

*Unilaterales fratres sororesque legitime nati.*

Unilaterales fratres sororesve omnes ii sunt, qui ex *iusto* quidem *coitu* nati sunt, sed *alium patrem*, aut *alium matrem* habent. Et prouti *patrem* communem habent, aut *matrem*; vel *consanguinei*, vel *uterini* sunt. Referrī huc debent, *fratres sororesve* ex *diversis iustis nuptiis*, ex *diversis nuptiis putativis*, & ex *diversis sponsalibus publicis* nati. (§. 77.)

§. 79.



## §. 79.

*Vnilaterales fratres sororesve per rescriptum principis plene legitimati ad unius parentis preces.*

Inter unilaterales quandoque locum occupat frater sororve illegitime natus, sed ad preces unius parentis *plene* a Principe legitimatus, tunc scil. si ex parte alterius parentis, qui legitimationem non simul impetravit, successionis non fuit plene capax. e. g. frater adulterinus, aut incestuosus, aut ex bigamia natus, ad preces patris a principe plene legitimatus, est tantum frater *unilateralis*, & quidem *consanguineus*; Si ad preces matris, est tantum *uterinus*: & sic in similibus.

## §. 80.

*Vtrum legitimatio minus plena per rescriptum fratres sororesve efficiat unilaterales?*

Legitimatio per rescriptum principis minus plena, eluit tantum *maculosam* natiuitatem quoad *publica negotia*. In *successione ab intestato* nil alterat. Ergo, illa legitimatione, non obstante, fratres sororesve

ve



ve ex qualitate *pristina* iudicandi sunt in  
*successione ab intestato.*

§. 81.

*Unilaterales fratres sororesve ex concubinato.*

*Unilaterales*, & quidem *uterini*, ha-  
bentur fratres sororesve ex concubina, sive  
ab *eodem* sive a *diverso* patre, procreati,  
ideoque fratribus *uterinis* sive *legitime na-*  
*tis*, sive aequae ex *concubinato*, *stupro* na-  
tis, succedunt. *Consanguinei* vero non ha-  
bentur in *successionis ab intestato argumen-*  
*to*: ideoque aliis fratribus sororibusve,  
*eundem* licet patrem agnoscentibus, non  
succedunt. e. g. *Naturales* ex *eadem* con-  
cubina ab *eodem* patre procreati, sunt  
*uterini* tantum; *Naturales* ex *diversis* con-  
cubinis ab *eodem* patre procreati, *non* sunt  
fratres *consanguinei*. Idem valet etiam de  
*Spuriis*. ANCKELMANN cit. *diff. c. 1. S. 2.*  
*§. 7. & c. 2. S. 1. §. 12.*

§. 82.

*Unilaterales ex stupro.*

*Unilaterales*, & quidem *uterini*, etiam  
sunt fratres sororesve qui ex *stupro*, sive ab  
*eodem* sive a *diverso*, patre procreati sunt.  
Spu-

Spurii tamen matris *illustris* non succedunt cum fratribus sororibusve *unilateralibus legitimis fratri defuncto* aequè legitimo. Sed ad hereditatem *fratris* aequè spurii cum fratribus *legitimis unilateralibus* & fratrem alium *spurium* ab intestato admittendum censeo. (conf. §. 27. 52.) STRYKII igitur sententiam, quasi spurii matris *illustris* cum fratribus *legitimis* non succederent, in *priori* casu probo: in *posteriori* reiicio. STRYK c. l. diff. 3. c. 1. §. 38.

## §. 83.

*Unilaterales fratres sororesve vulgo quaesiti.*

Idem, quod iam (§. 82.) de *spuriis* dictum est, valet etiam de *vulgo quaesitis fratribus sororibusve.*

## §. 84.

*Unilaterales fratres sororesve ex stupro violento & nec violento nec voluntario.*

Idem etiam tenendum est, de fratribus sororibusve *ex stupro violento & nec violento nec voluntario natis.* (§. 31. 56.)

## E

## §. 85.

## §. 85.

*Unilaterales fratres sororesve ex adoptione perfecta & arrogatione.*

Unilaterales, & quidem consanguinei, sunt fratres ex adoptione perfecta, aut arrogatione tales: nulla tamen facta a patre adoptivo arrogatoreve emancipatione & fratre arrogato impubere mortuo. Mors patris adoptivi arrogatorisve agnationem non tollit. STRYK c. l. §. 30. 31. 33.

## §. 86.

*Non succedunt fratres ex adoptione imperfecta tales.*

Adoptatus imperfecte, adoptatus etiam a femina, non fit frater unilateralis successionis ab intestato capax. l. 10. §. 1. C. de adopt.

## §. 87.

*Nec succedunt fratres sororesve adulterini, incestuosi & ex bigamia tales.*

Fratres sororesve ex adulterio, incestu aut bigamia tales, unilaterales plane non sunt, ne quidem uterini. Ergo successionis ab intestato non sunt capaces.

## §. 88.

## §. 88.

*Regula de concursu fratrum sororumve unilateralium diversi generis.*

Hi relati haectenus fratres sororesve *unilaterales*, *consanguinei* vel *uterini*, successionis ab intestato capaces, ad fratrum sororumve defunctorum *unilateralium* hereditatem ab intestato admittuntur sive *consanguinei* sint, sive *uterini*; sive ipsi sint *legitime nati*, sive non; sive *defunctus* frater *unilateralis* legitime natus fuerit, sive non; sive *reliqui concurrentes* fratres *unilaterales* sint *legitime nati*, sive non. Sic e. g. fratres sororesve *legitime nati* succedunt fratri sororive *uterino spurio*, etiam cum aliis fratribus *uterinis spuris*. Succedunt quoque *spurii uterini* fratribus sororibusve *uterinis legitime natis*, licet concurrant *alii fratres sororesve uterini legitime nati*. (vid. tamen §. 82.)

## §. 89.

*Unilateralium filii filiaeve, qui quaeve admittantur?*

Principium, quod in §. 71. posuimus, repetendum, & ad *unilaterales* accommodandum est.

§. 90.

*Successionum casus speciales in hac classe  
determinantur.*

Casus speciales, in hac classe possibiles,  
sunt hi:

I. Si simul adsunt fratres sororesve unila-  
terales & defunctorum unilateralium  
filii filiaeve; illi in capita, hi in stirpes  
succedunt. (§. 75.)

II. Si soli adsunt fratres sororesve unilate-  
rales, succeditur in capita. (§. 75.)

III. Si soli adsunt fratrum sororumve bila-  
teralium filii filiaeve; succeditur in capi-  
ta. (§. 40. 75.)

Schol. Sed quid si patruus adesset? Nihilofecius  
in capita succeditur. Patruus enim non pertinet  
ad tertiam, sed ad quartam classem, vid. §. 72.  
§. 7. schol.



CLAS.

**CLASSIS QUARTA.****COGNATORVM RELIQUORVM COL-  
LATERALIVM PROPIORVM.**

§. 91.

**Connexio.**

Deficiente & classe tertia, successionis emolumentum devolvitur ad quartam, in qua reliqui cognati, successionis ab intestato capaces, secundum proximitatnm gradus, vocantur. N. 118. c. 3.

§. 92.

*Quinam cognati successionis ab intestato capaces sint?*

Quamvis inter agnatos & cognatos discrimen sublatum sit, non tamen omnes, qui cum defuncto sanguine iuncti sunt, statim ad hereditatem eius ab intestato vocantur. Sed hic probe tenendae sunt regulae: Cognatus collateralis qui cum defuncto generationibus, quoad ius successionis ab intestato legitimis, sive veris, sive fictis, sive ab initio legitimis, sive ex post legitimis factis, nexus est; ad haereditatem eius ab intestato vocatur. Cognatus vero collateralis

E 3

qui



qui cum defuncto, vel etiam unica generatione intermedia, quoad ius successionis illegitima nexus est, ad hereditatem eius ab intestato non admittitur. Ergo hic repetenda sunt, quæ de generationibus, quoad ius successionis ab intestato legitimis, dicta sunt in superioribus.

Sic e. g. spurii & vulgo quaesiti, eorumque liberi, omnibus cognatis maternis succedunt, & hi illis. ANCKELMANN in cit. diff. c. 2. S. 1. §. 13. seqq. vbi contraria argumenta refelluntur.

Spurii vero & vulgo quaesiti non succedunt patris cognatis; nec hi illis.

*Adulterini, incestuosi cet.* neque succedunt patris neque matris cognatis; neque hi illis.

De legitimatis vide §. 69. 79. sq. & PVFENDORF T. I. obs. 241. §. 3. 4. Adoptivi perfecte & arrogati, nulla emancipatione facta, patris adoptivi perfecte talis, & arrogatoris, agnatis succedunt; & hi illis. Et sic porro.

§. 93.

*Propior cognatus. Exulat ius repræsentationis & duplicitas vinculi.*

Vocantur vero in hac classe cognati secundum proximitatem gradus, civiliter

com-



*computandi, ita, ut propior excludat remotiorem, omni excluso iure repraesentationis, & sive bilateralis, sive unilateralis sit cognatio. PVFENDORF. T. II. obs. 192. Plures vero gradu aequales simul admittuntur.*

§. 04.

*Cognati in infinitum succedunt.*

Cognati in *infinitum* succedunt ab intestato, quoto etiam gradu distent: modo nemo gradu proximiori eos antecedit. STRYK. c. l. diff. 3. c. l. §. 28. seq. VOETIVS in *comm. ad Pand.* lib. 38. tit. 17. §. 22. PVFENDORF. T. II. obs. 125.

§. 59.

Succeditur in *capita*. (conf. §. 15. reg. 3.)

§. 96.

*Bonorum diversitas non attenditur.*





**SECTIO III.**  
 DE  
**SUCCESSIONE AB INTESTATO**  
**COGNATORVM EX IVRE**  
**SAXONICO.**

§. 97.

*Transitus ad ius Saxonicum.*

Actum hactenus est de *successione ab intestato cognatorum* ex NOV. 118. Paucis *ius Saxonicum*, quod *tres cognatorum classes* constituit, (§. 14.) subiiciemus.

**CLASSIS PRIMA.**

**DESCENDENTIVM.**

§. 98.

*Quid in illa iuris?*

Omnia, quae in antecedenti *Seçt.* eiusque *classe prima*, de *successione descendentium* ex iure *Iustiniano* proposita sunt, valent & de iure *Saxonico*. In eo *ius Saxonicum* a *Iustiniano* discedit, quod illud res *expeditorias*, das *Heergeräthe*, *filiis*; & res *utensiles*, die *Gerade*, *filiabus*, ut cuiusque  
 sexus



lexus liberis proprias, adiudicet. GOTTF. BARTH von der Gerade Leipzig 1721. GOTTF. AVG. HOFMANN von der Gerade und dem Heergeräthe. Jrfurt, und Leipzig 1733. GEORG. AD. STRUVIVS in *Notis & Observat.* ad MATTHAEVM de successiõibus pag. 401. seqq. 10. GOTTF. SCHAVMBURG in der *Einleitung zum Sächsischen Recht.* Dresden und Leipzig 1743, part. 3.

*CLASSIS SECUNDA.*

*ASCENDENTIVM.*

§. 99.

*Quid in illa iuris?*

Apud Saxones secundo loco soli ascendentes, exclusis omnibus collateralibus, succedunt. I. P. S. lib. 1. art. 17. RICHTER de success. ab int. S. 2. m. 1. n. 3. Quae vero in superiori sectione eiusque classe secunda de ascendentibus, successionis ab intestato capacibus, praecepimus, ea & in Saxonia valent. Ibi quoque proximior excludit remotiorem, licet in diversa linea.

E s

Sem



Semper succedunt in *lineas* s. *genera*. *Origo*  
bonorum nec in Saxonia in hac classe spe-  
ctatur. SCHMIDIVS in cit. diff. c. 2. §. 8.  
seqq.

### CLASSIS TERTIA.

#### COLLATERALIVM.

§. 100.

*Quid in ea iuris.*

Deficientibus omnibus ascendentibus,  
successionis ab intestato capacibus, ad *col-  
laterales* denique successio devolvitur se-  
cundum proximitatem gradus, ita, vt ne-  
que fratres sororesve *bilaterales*, neque *uni-  
laterales*, neque eorum *fili* *filiae*ve alios  
cognatos, aequae propinquos, praecedant.  
Exulat igitur inter collaterales ius *reprae-  
sentationis*, sed *civiliter* computandi sunt  
gradus. Prior enim gradu excludit *remo-  
tior*em; & gradu *aequales* simul admittun-  
tur in *capita*, sine *distinctione bonorum*. P. 3.  
C. 14. In computando vero gradu ob-  
servanda est regula: die halbe Geburt tritt  
einen Grad weiter. Quae regula, *utrum*  
*ad solos fratres eorumque filios spectet: an*  
*etiam ad remotiores collaterales pertineat?* a  
longo



longo iam tempore disputandi materiam  
praebuit. In *Saxonia* vniversaliter accipi-  
tur. CARPZOVIVS P. 3. c. 18. def. 24.  
BERGERVS in *oec. iur.* lib. 2. tit. 4. §. 39.  
n. 5. Alibi eam vltra fratres eorumque  
filios non extendendam esse putarem. conf.  
FRID. ESAIAS PVFENDORFIVS T. II.  
obs. 192. 193. 10. VLRICH *Freyherr von*  
CRAMER in den *Bezlarischen Nebenstunden*  
6ter Theil n. 6. vbi de controversia inter  
KROHNIVM & BACMEISTERVM agitata.

## SECTIO IV.

DE

### SUCCESSIONE AB INTESTATO EX SPECIALIBVS CAVSSIS.

§. 101.

#### *Transitus.*

Deficientibus omnibus collateralibus,  
successionis ab intestato capacibus, ex *caus-  
sis specialibus ante fiscum* ad hereditatem qui-  
dam vocantur: vel *integram*, vel *res quas-  
dam ex illa.*

§. 102.

... §. 102. ...

I. *Socius liberalitatis imperialis.*

Si quis forte ex his, quibus communiter a principe aliquid donatum est, nullo herede relicto decesserit, ad consortem potius solatium, quam ad personam ALIAM pars decedentis pervenit: sunt verba l. vn. C. si liberal. imper. soc. sine hered. decess. Alii hanc legem ex l. 1. C. THEOD. si petit. soc. sine hered. defec. explicant, verba: nullo herede, ad testamentarios & liberos restringentes & sub persona alia, quamcunque, quae nec testamento instituta, nec ex numero liberorum est, intelligentes. PEREZ ad Cod. cit. tit. II. 12. BERNHARD. LUDOVICVS MOLLENBECIVS in diff. de imperialis liberalitatis socio c. 3. §. 3. seqq. Ex quorum ergo sententia socius liberalitatis imperialis, quoad partem decedentis, in successione ab intestato proximum post liberos locum occupat, & ascendentes, multo ergo magis collaterales cognatos, praecedat. Alii vero ad l. 2. C. THEOD. eod. tit. provocant & verba: nullo herede, generaliter accipiunt, socium liberalitatis imperialis deficientibus demum omnibus cognatis, successionis ab intestato capacibus, admittentes: quorum sententia verior mihi

hi

hi videtur. STRYK c. 1. diff. 5. c. 1. §. 29.

Hoc facile admitto, socium liberalitatis imperialis in parte decedentis tam *coniugi*, quam *collegio* praefendum esse. PEREZ c. 1. n. 13.

§. 103.

II. *Coniux superstes: non sponsus sponsa.*

Si discedimus ab illo casu, (§. 102.) ad hereditatem vocatur coniux superstes, etiam *putativus* in b. f. existens, five *uxor*, five *maritus* sit, modo usque ad mortem duraverit matrimonium, nec alia ex causa successione hac se indignum fecerit coniux. ANTON. MATTHAEI de *success.* c. 15. ibique STRUVIUS. STRYK c. 1. diff. 4. c. 1. §. 9. seqq. IMMAN. WEBERVS in *diff. de successione coniugis superstitis pauperis.* Gieslæ 1718. Separationem quoad *thorum* & *mensam* non impedire coniugum successione statuunt CARPZOVIVS P. 3. C. 26. def. 17. WERNHER T. II. P. 6. obs. 325. GEORG. LUDOV. BOEHMERVS in *princ. iur. can.* §. 463. Contra STRYKIVS c. 1. §. 9. & 10. WEBERVS in *diff. cit.* c. 6. §. 5. coniugem *nocentem* repellunt.

Spon:



*Sponsum sponsamve, etiam de praesenti tales, ad hanc successionem non admittendos esse censeo; nequidem apud Catholicos; quum ex omnium Canonistarum sententia per Conc. Trid. Sess. 24. de reform. matr. c. 1. sponsalia de praesenti sublata sint. Vide modo ENGELIVM in Colleg. iur. can. lib. 4. tit. 1. n. 2.*

§. 104.

*Coniugis successio ab intestato duplex.*

Sed coniugis successionis ab intestato duplex est ratio. Aut enim *defunctus coniux est locuples & superstes pauper*; aut non.

§. 105.

*Successio coniugis pauperis.*

Iure novissimo coniux superstes, sive *maritus*, sive *uxor*, NOV. 53. c. 6. succedit *locupleti*, etiam cum *descendentibus*, nedum cum *ascendentibus & collateralibus*. NOV. 53. c. 6. NOV. 117. c. 5. *auth. praeterea C. unde vir & uxor*. STRYK c. 1. diff. 4. c. 1. §. 16. seqq. VOETIVS c. 1. §. 23. seqq. PVFENDORF. T. III. obs. 177. IMMAN. WEBERVS in cit. diff. HERMAN. MANECKE in diff. de successione coniugum



*in concursu cum liberis diversi matrimonii,  
speciatim hamburgensi. Gœtt. 1758.*

§. 106.

*Quis coniux locuples? quis pauper?*

Quis coniux *locuples* dici possit accurate definitum non est, sed ab arbitrio iudicis pendet, qui eo respicere debet, an substantia defuncti tanta sit, quae sustentationi congruae & heredum & ipsius coniugis superstitis sufficiat. STRYK c. l. §. 17. sep. WEBER cit. *diss.* c. 3. §. 6. seqq.

Deinde, quis coniux *pauper* vocandus sit? varie sentiunt Doctores. Ego illis assentior, qui eum pauperem vocant, qui de suo se honeste & dignitati suae convenienter sustentare nequit. vid. STRYK c. l. §. 19. PVFENDORF. c. *obs.* LEYSER sp. 424. m. 1. seqq. SCHELKENS de *successione ab int.* c. 5. WEBER in cit. *diss.* c. 3. §. 7. Iudicanda est haec paupertas ex *tempore mortis* coniugis *locupletis*. STRYK c. l. §. 24. Nec hac successione privandus est coniux, qui vitae subsidia labore suo acquirere potest. STRYK c. l. §. 20. dissent. SCHELKENS c. l.

§. 107.



## §. 107.

*Quantum accipit, & quo iure?*

Coniux superstes pauper cum *tribus* paucioribusve cognatis concurrens, *quartam*; cum *quatuor* pluribusve, *virilem* partem: Et quidem cum *liberis propriis*, iure tantum usufructus; cum *privignis aliisve cognatis*, iure pleno eam acquirit. Imo coniux locuples ne *testamento* quidem id minuere potest. Imputantur vero in hanc quartam dos & legata. Nov. cit. & *autb.* cit. STRYK l. c. WEBER c. l. LEYSER sp. cit. m. 8. seqq.

## §. 108.

*Utrum quartam iure hereditario accipiat?*

Coniux pauper hanc quartam non accipit iure hereditario, sed speciali legis beneficio; nec gaudet iure accrescendi; nec ius petendae quartae ad heredes transmittit. STRYK c. l. §. 26. seqq. WEBER c. *diff.* §. 3. §. 11. PVFENDORF. cit. *obs.*

## §. 109.

*Successio coniugis si defunctus aut non est locuples, aut superstes non inops.*

Si vero coniux defunctus non est locuples,

ples,

ples, aut *superstes non est pauper*, coniux coniugi secundum *ius romanum* non aliter succedit ab intestato, quam omnibus cognatis, successionis ab intestato capacibus, deficientibus: Quo casu *Praetor* coniugem superstitem, tam *maritum*, quam *uxorem*, ex edicto *unde vir & uxor* ad *integram* defuncti coniugis hereditatem vocat; eumque *agnita* *intra centum* dies, a tempore scientiae currere incipientes, bonorum possessione, constituit *bonorum possessorem edictalem*, heredi legitimo non absimilem. §. 3. I. de B. P. l. vn. D. l. vn. C. *unde vir & uxor*. Et cum *coniugi* legibus novis neque successio data, neque *ius praetorium* mutatum aut abrogatum sit, ideoque coniux praetorio tantum auxilio ad hereditatem adspirare possit; omnino par est, cum STRYKIO c. l. diff. 4. c. 1. §. 4. 7. BERGERO in *Oec. iur.* lib. 2. tit. 4. §. 42. n. 1. *aliisque*, statuere, hodieque bonorum possessionem *intra C. dies* petendam esse; alioquin, hoc tempore elapso, coniugem non amplius admitti, illumque sibi imputare oportere, quod hunc terminum praeterlabi passus fuerit.

*Schol.* De Successione coniugum ex *statutis*, quia haec ad *ius commune* non pertinent, & varii admodum tenoris sunt, hoc loco tacendum esse melius duxi. PESTEL. *tr. de success. inter coniug. ab intestato.* Rint. 1745.

F

§. 110.

### III. Collegia & corpora privilegiata.

Neque coniuge legitimo existente, hereditas collegiati & corporati devolvitur ad collegium corpusve, tali privilegio ornatum. STRYK. diff. 5. c. 1. §. 37. seq. Dissent. STRUV. ad MATTH. de success. c. 15. §. 18. Iure communi eiusmodi privilegium vindicatur:

a) *Ecclesiis* in bonis clericorum cuiuscunque ordinis, iure collegii, non iure fisci. l. 20. C. de episc. & cler. IVST. HENN. BOEHMERVS in I. E. P. T. 2. lib. 3. tit. 27. §. 17. 10. GOTTL. BRENDelius in diff. de successione ecclesiae in ministri sui bona vacantia. Ienae 1749.

b) *Academiis* in bonis professorum & omnium civium academicorum. STRUVIVS ad MATTH. de success. c. 15. §. 19. STRYK c. 1. diff. 5. c. 1. §. 39. VOETIVS c. 1. §. 31. in f. *Nostra academia* hoc privilegio plus vice simplici usa est.

c) *Vexillationi* in bonis militis. l. 2. C. de hered. decur.

Reliqua collegiorum privilegia in iure romano obvia recensere operae pretium non

non

non est, cum ad statum nostrum minime quadrent. vide interim STRYK c. 1. §. 32. seqq.

§. III.

IV. *Qui furiosum, ab heredibus ab intestato neglectum, praevia attestatione, suscepit & ad finem vitae sumtibus propriis procuravit.*

Casum hunc specialem continet NOV. 115. c. 3. §. 12. vbi dispositio IVSTINIANI legi potest. Hoc saltem addo, quod illa sanctio etiam ad *collegia privilegiata*, furiosum collegiatum & corporatum, cuius potiundae hereditatis spem habuerunt certam, praevia attestatione, negligentia, me iudice, extendi mereatur. Certe ad *coniugem* eam pertinere, nemo dubitabit.

§. IIII.

*Ultimo fiscus venit.*

Si nullus horum adest, excluso tutore, STRYK. c. 1. diff. 5. c. 1. §. 41. fiscus bona *vacantia*, praevia citatione edictali, occupat. l. 1. pr. de *success. edict.* l. 1. 4. C. de *bona vacant.* l. 1. §. 2. D. de *iure fisci.* HENR. COCCEII in *diff. de bonis vacantibus.*

10. ERNESTVS SPIELMANNVS in *diff.*  
*de successione fisci.* Arg. 1702. Hoc ius  
 fisci in plurimis Germaniae provinciis iis  
 concessum esse solet, quibus *iurisdictio*  
*criminalis* competit, vt hoc etiam emolu-  
 mento onera illius iurisdictionis compen-  
 sentur.

§. 113.

*Vtrum fiscus sit heres?*

Alii fiscum heredem, & nisi inventa-  
 rium confecerit, vltra vires hereditatis  
 eum solvere obligatum esse, aiunt. STRYK.  
 c. 1. *diff.* 5. c. 1. §. 45. seqq. Alii heredis  
 qualitatem negant, &, licet inventarium  
 confectum non sit, non vltra vires heredi-  
 tatis fiscum teneri censent. SCHELKENS c.  
 1. c. 6. PVFENDORF. T. III. obs. 14.  
 §. 22.

§. 214.

*Fiscus an debita, legata & fidei commissa  
 praestet?*

Fiscum ad debita defuncti solvenda  
 obstrictum esse, nemo negat. l. 31. pr. *D.*  
*sol. matr.* l. 6. *D. de iur. fisci.* Ponamus  
 vero, tabulas testamenti esse destitutas, &  
 hereditatem, nullo alio herede existente,  
 ad



ad fiscum devolvi. Fiscusne legata fidei  
commiffave praestare tenetur? praesertim  
cum clausula codicillaris, etiamsi expresse  
adiecta non sit, tacite in foris nostris sub-  
intelligatur. Placet affirmans sententia.  
STRYK. c. l. §. 50. seqq. VOETIVS c. l.  
§. 28. FACHINAEVS *controv.* lib. 6. c. 22.  
Dissent. post alios SCHELKENS c. l.

§. 115.

*Si plures fisci concurrunt.*

Quidam eam fovent sententiam, quod  
fiscus *domicilii* omnia *mobilia* accipiat; *im-*  
*mobilia* vero fisis *rei sitae* cedant. STRYK  
c. l. §. 47. seqq. Alii, sine *discrimine ho-*  
*norum*, quemlibet fiscum bona, quae in-  
tra districtum suum inveniuntur aut sita  
sunt, occupare posse censent: quae sen-  
tentia verior esse videtur. VOETIVS c. l.  
§. 29. PVEENDORF. T. III. obs. 14. §.  
22. seqq.

§. 116.

*Quo tempore hoc ius fisci amittatur?*

Ius fisci, hereditatem tanquam vacan-  
tem occupandi amittitur *quadriennio*, five  
bona *nunciata* fisco sint; five *nondum nun-*  
*ciata*. STRYK. c. l. §. 57.

F 3

SECTIO



S E C T I O V.  
DE  
SUCCESSIONE AB INTESTATO  
PRAETORIA.

§. 117.

*Bonorum possessio ab intestato.*

De *bonorum possessione* meas iam generatim aperui cogitationes in *diff. de foro heredis* pag. 9. seqq. in quibus adhuc persisto. Definitio B. P. in genere per ius, quod praetor, *lexve nova ad praetoris similitudinem, in hereditatem concedit, iure civili incognitum.* Nunc hoc ius vel *iuri hereditario civili quoad effectus est simile, & nomine ab eo tantum differt; vel quieta tantum, usque dum id, quod in dubio haeret, eo vacare desinat, hereditatis possessio, ex praesumpto iuris hereditario, ad effectum alimenta ex hereditate percipiendi, conceditur.*

Si prius, est *edictalis*; si posterius, *decretalis* est B. P.

*Edictalis* vel *contra tabulas*, vel *secundum tabulas*, vel *ab intestato* datur.

De *posteriori* quaedam delibabimus hoc loco. Diu enim promissum *libellum*  
singu-



*singularem de Honor. possessione, a quo per-  
ficiendo concatenati me hactenus impedi-  
vere labores, certissime adhuc praesto.*

§. 118.

*Scopus praetoris in danda B. P. edictali.*

Initio admonendi sumus, praetorem,  
paullatim asperitatem *iuris civilis* corrigen-  
tem, sive quod illi deerat, implentem,  
humano proposito alium ordinem succes-  
sionis ab intestato *suis edictis* constituisse;  
cuius rei scopus *primarius* fuit, tales per-  
sonas ad haereditatem admittere, quae *iure civili neglectae* erant. Deinde *ultra* sco-  
pum *primarium* praetor exspatiatus, eos  
etiam *honorario iure* ad B. P. vocavit &  
commodorum praetoriae successionis, si de-  
siderant, participes reddidit, ad quos he-  
reditas ex iure quoque civili pertinet.  
Ideoque vel *impugnandi emendandive* vete-  
ris iuris vel *magis confirmandi* gratia prae-  
tor pollicitus est B. P. *edictalem*. pr. I. de  
B. P. Ex quo fluit, quod illae personae,  
quae *solo iure honorario* ad haereditatem per-  
venire possunt, vtpote *iure civili exclusae*,  
non aliter hereditatem obtinere queant,  
quam agnita B. P. Si vero, ad quos, re-  
mota quoque B. P., hereditas ex iure ci-

F 4

vili



vili pertinet, praetoris adiumento *absolute* haud indigent. Edictorum autem, quibus praetor ad successionem ab intestato vocavit, *quatuor* adhuc obtinent ex IUSTINIANI constitutione, nempe: *unde liberi, unde legitimi, unde cognati, unde vir & uxor.*

§. 119.

*Edictum unde liberi.*

Per edictum *unde liberi*, praetor primo loco *liberis*, tam *suis*, quam *emancipatis*, B. P. dat. Quo loco notandum est, quod *emancipatus* filius, cuius liberi in potestate *avi* manserunt, cum his ad hereditatem patris a praetore vocatus sit. *tot. tit. D. de coniung. cum emancip. liber. eius.*

§. 120.

*Edictum unde legitimi.*

Hoc edicto praetor vocabat secundum proximitatem gradus *agnatos* s. *legitimos*, in specie dictos. Imo, si *sui* neglexerant B. P. ex edicto *unde liberi*, adhuc ad eam, quae est *unde legitimi*, admittebantur. *tot. tit. D. unde legitimi.*

§. 121.

§. 121.

*Edictum unde cognati.*

Hoc edicto praetor vocabat *cognatos*, *proximitatis* nomine. Quo tamen nomine iis solis praetor promittit B. P., qui vsque ad *sextum* gradum cognationis sunt, & ex *septimo* sobrino sobrinaque nati nataeve. §. 5. l. de *success. cognat.* Sciendum quoque est, quod, qui bonorum possessionem *unde liberi* & eam, quae *unde legitimi* est, perire poterant, sed neglexerant, ad B. P. *unde cognati* adhuc admittantur. *tot. tit. D. unde cognati.*

§. 122.

*Edictum unde vir & uxor.*

Denique his omnibus deficientibus, vocabatur *vir & uxor*: de quo iam actum est. §. 109.

§. 133.

*Tempus petendae bonorum possessionis.*

Praetor neminem *ipso iure* efficit B. P., sed a *quovis* agnoscenda est. *Liberis & parentibus* in petenda bonorum possessione *anni spatium*, ceteris autem, *agnatis, cognatis & coniugi* *centum dierum* datum est, a tempore *scientiae* demum currens, sed

F 5

omnes

omnes dies, non fastos solum, comple-  
ctens. §. 5. 6. I. de B. P. l. 10. D. de B. P.  
l. 2. D. *quis ordo in poss. servetur.* l. 2. C. *qui*  
*admit. ad B. P.*

§. 124.

*De nonagenaria praescriptione.*

Sui igitur liberi *triplex* habebant spa-  
tium, nempe: *annum* ex edicto *unde libe-*  
*ri*; C. dies ex edicto *unde legitimi*; & C.  
dies ex edicto *unde cognati*. Quod Docto-  
res, summa imis miscentes, ad successio-  
nem *iuris civilis*, quae XXX. annis *semel*  
submovetur, l. 7. C. de *petit. hered.* l. 3. C.  
de *praescript. XXX. vel XL. annor.* trans-  
ferentes, *duplici* errore; *uno*, quod succes-  
sionem *civilem* substituerint *praetoriae*: *al-*  
*tero*, quod *brevissima agnoscendae B. P. spatia*  
cum XXX. *annorum praescriptione* commu-  
tarint, commisso, docuerunt, liberos ab he-  
reditate parentum XC. demum *annorum*  
praescriptione submoveri; imo, si *testa-*  
*mento* heredes scripti essent liberi, CXX.  
annorum cursu opus esse: quia in hoc ca-  
su B. P. *contra* aut *secundum tabulas*; dein-  
de *ab intestato* ex edicto *unde liberi*, po-  
stea ex edicto *unde legitimi*, postremo ex  
edicto *unde cognati*, liberis pateat. Quae  
quam absurda & perversa fit sententia, &  
*lerna*

*lerna falsarum conclusionum*, abunde ex his patet: interim monstrum hoc nonagenariae praescriptionis in *Camera imper.* receptum est. conf. PHILIPPI lib. 3. tit. 10. eclog. 34. CARPZOV. 3. 14. 30. WERNHER T. I. P. I. obs. 310. de CRAMER in obs. iur. univ. T. I. obs. 327. IDEM in *Bezlarischen Beyträgen* P. 1. n. 9. IACOB. RAVE in *Princip.* de praescript. §. 155. IAC. FRID. LUDOVICI *diss.* de praescript. nonagenaria Halae 1718. CHR. LVD. CRELLIVS in *diss.* de praescriptione petit. hered. paternae & avitae. Vit. 1738.

## §. 125.

*Hereditas ex iure civili praescripta, & B. P. adhuc salva esse potest.*

Spatium XXX. annorum, intra quod hereditas ex *iure civili* adeunda est, currit & *ignoranti*; spatium vero, intra quod petenda est B. P. currit demum a tempore *scientiae*. (§. 123.) Ergo B. P. adhuc potest esse salva, licet hereditas *ex iure civili* sit praescripta. Vidit id iam SICHARDVS ad *tit. C. qui admit. ad B. P. pos. n. 11.* & SCHNEIDEWINVS in *Comment. ad Inst.* lib. 3. tit. 10. in fin. Dissent. CRELL. cit. *diss.* §. 17. ibique WISSENBACH.

## §. 126.

§. 126.

*Usus B. P. ab intestato hodiernus.*

Nullibi B. P. ab intestato <sup>generatim</sup> est sublata, STRYK. c. l. diff. I. c. I. §. 64. quamvis per NOV. 118. res eo deducta sit, vt hodie *emancipati & cognati* non amplius *necessario* indigeant praetoris adiumento, vtpote ex lege *civili nova* ad hereditatem admissi. Etenim & olim praetor & suos & legitimos, licet ad eos hereditas ex *iure civili* pertineret, ad B. P. admittebat. Ergo & hodie nemini, licet ad eum hereditas ex *iure civili novo* pertineat, B. P. agnoscere prohibitum est, nisi B. P. agnitio aperte cum *legibus novis* contradictionem involveret, e. g. *agnatus* sub praetextu agnoscendae B. P. ex edicto *unde legitimi* excludere nequit a successione civili *cognatum* vel *proximiorum* vel in *aequali gradu* constitutum. Immo dantur & hodie casus, in quibus ii, ad quos *iure civili* hereditas pertinet, alio modo, ac per B. P., hereditatem obtinere nequeunt, v. c. si hereditas ex *iure civili praescripta*, B. vero P. adhuc salva est. (§. 125.) Adde casum l. fin. C. *unde liberi*. HENR. COCCII in cit. diff. s. 2. & 3. Hoc expeditum est, quod

quod

quod ii, quibus *lege nova* prospectum non est, *simpliciter* petere debeant B. P., vti de *coniuge* supra monuimus. (§. 109.)

Denique, si quis B. P. agnoscit, omnia ex *iure honorario* aestimanda sunt, e. g. tempus petendae B. P., ordo a praetore praescriptus & cetera, quae praetor edixit. STRYK c. 1. diff. 9. c. 2. §. 26. & inprimis BERNHARD. LUDOV. MOLLENBECIVS in *diff. de duobus testamentis simul validis*. Giesae 1711. cap. 6. Quo etiam refero casum in §. 119. relatum, de *emancipato* filio cum *eius liberis* in *potestate* avi retentis concurrente. Hoc enim in casu & hodie, si ex edicto *unde liberi* B. P. agnoscitur, idem valere, persuasum mihi est. VOETIVS ad D. *tit. de coniung. cum emanc. lib.* §. 2. Dissentiunt communiter DOCTORES ad *tit. D. de coni. cum emancip.* & COCCEN in *cit. diff. f. 2. §. 15.* Interim hicce casus, pro conditione nostri status *familiae*, rarissime occurret.

Haec sufficiant hoc loco de B. P.; quae doctrina cum a plerisque ne nomine quidem intelligatur, nullos habet osiores, nisi ignorantibus.

AVCTA-



## AVCTARIUM PRIMVM.

ad SECT. I.

§. 127.

*Absentium successio utrum fiat ex nunc,  
an ex tunc?*

In successione, quae *absentibus* (*Bersschollenen*) fit, praeiudicialis quaestio est, *ex quo tempore illis succedatur?* Hoc expeditum est, quod si tempus, quo absens *vere* mortuus est, probari queat, illum heredem existere, qui *eo tempore* proximus fuit. Et hoc omnes facile admittunt ob §. 7. I. de *bered. quae ab intestato defer.* & §. 6. I. de *legit. agnat. success.* Quod si autem *verum* mortis tempus probari nequeat, sed ex *praesumptione iuris* absens mortuus habetur, alii tempus *abitus*; alii tempus, *curae* ob vitam absentis dubiam *susceptae*; alii denique tempus, quo absens ex *praesumptione iuris* mortuus habetur, spectandum esse sentiunt. *Prima* sententia, nisi in lege provinciali statutove fundata sit, vid. *Hobenloisches Landrecht* V. I. 28. nullos invenit, neque meretur, fautores. *Secunda* vero plurimorum assensum habet. LYNCKER Vol. I. resp. 5, & in *Anal.*  
ad



ad STRUVII Synt. I. C. tit. de hered. petit.  
ih. 66. & Decis. 1478. WERNHER T. III.  
P. 3. obs. 48. WAHL in pr. cui necessitas  
probandi in petitione hereditatis absentis in-  
cumbat. Gœtt. 1751. pag. 12. seq. ENGAV  
in elem. iur. germ. lib. 1. tit. 28. §. 482. &  
487. & ad hunc locum RICCIUS. IDEM  
in Progr. de cura absentium, Ienae 1753.  
pag. 11. IDEM in Decis. & Respons. P. II.  
resp. 3. n. 4. SCHORCH in tr. de cura bo-  
norum absentis §. 23. seq. Tertia sententia  
defenditur a LEYSERO sp. 96. m. 9. FERD.  
AVG. HOMMELIO in diss. septuagenarius  
absens factus, quando mortuus praesumatur.  
Lipsiae 1751. CAROL. FERD. HOMMELIO  
in Rhapsod. obs. 107. add. REINHARTH ad  
CHRISTINAEVM Vol. 3. obs. 35. Si di-  
cendum quod res est, ego tertiam sen-  
tentiam veriore existimo & iuri romano  
accommodatiorem. Probo ex §. 6. I. de  
legit. adgnator. successione, ubi scriptum le-  
gimus: proximus autem, siquidem nullo te-  
stamento facto quisquam decesserit, per hoc  
tempus requiritur, quo mortuus est is, cu-  
ius de hereditate quaeritur. Quodsi facto te-  
stamento quisquam decesserit, per hoc tem-  
pus requiritur, quo certum esse coeperit, nul-  
lum ex testamento heredem extitutum; tunc  
enim proprie quisque intestatus decessisse intel-  
ligitur



ligitur. Quod quidem aliquando longo tempore declaratur. In quo spatio temporis saepe accidit ut, proximior mortuo, proximus esse incipiat, qui moriente testatore non erat proximus. Si nunc adsumimus, quod nemo negare potest, absentem, de cuius morte nil certi constat, tunc demum praesumi mortuum, si, uti communis fere est opinio, absens septuagesimum explevit aetatis annum, eo demum tempore certum esse coepit ex praesumptione iuris, absentem esse mortuum. Ergo is ei heres existit, qui hoc tempore, v. c. die prima anni septuagesimi primi, absenti proximus est. Ergo successio absentium fit ex nunc, & non ex tunc.

## AVCTARIUM SECVNDVM.

ad SECT. II.

§. 128.

*De successione nepotum: ubi & de*  
VAL. FORSTERO.

Dictum est supra, (§. 18. 20.) in classe descendentium tres occurrere casus: *Imus*, si soli liberi primi gradus adsunt; qui succedunt in capita. NOV. 118. c. 1. *Medius*, si cum

cum liberis *primi* gradus concurrunt liberorum *primi* gradus *praedefunctorum* liberi, scil. *nepotes*, *pronepotes* &c., & tunc illi in *capita*, hi in *stirpes* succedunt. NOV. 118. c. 1. *Rec. imp. de 1500. §. 19.* Illius, si *soli nepotes* adsunt; vel *ex eadem stirpe*, vel *ex diversis stirpibus*. Si *ex eadem stirpe*, per *accidens* fit, vt in *capita* succedant, quamvis itidem *ex iure repraesentationis*. COCCENII in *diss. de success. nepot. S. 1. §. 5. seqq.* Si *soli nepotes* *ex diversis stirpibus* concurrunt, in *stirpes* successio fit *ex iure repraesentationis*. §. 6. & vlt. l. de *hered. quae ab intest. defer.* ibique SCHNEIDEWINVS, VVLTEIVS, VINNIVS aliique, l. 2. C. de *suis & legit.* NOV. 118. c. 1. RICHTER de *success. ab int. S. 1. n. 87.* SCHVRRER. de *hered. quae ab int. def.* pag. 60. LAVTERBACH c. 1. §. 12. STRVV. EX. 38. th. 19. COCCENII in *cit. diss.* FLECK in *Biblioth. iur. civ. lib. 2. tit. 51. n. 16.* STRYK c. 1. *diss. 1. c. 2. §. 35.* Nec ego vllum invenire potui Doctorem, qui, *solos diversarum stirpium concurrentes nepotes in capita succedere*, affirmaret. Hoc enim certum est, ea, quae in *Rec. imp. de 1529. §. 31.* de *casu*, si *diversorum fratrum sororumve filii filiaeve in linea collateralis soli solaeve adsunt*, disposita sunt, huc non pertinere, STRYK.

G

c. 1.

c. 1. diff. 3. c. 1. §. 10. Interim STRYKIVS  
 c. 1. scrupulum, vt comperi, multis inie-  
 cit, his verbis: *Quamvis enim hi ipsi ae-*  
*quali gradu ab avo distent, Et inde etiam*  
*aequali iure, ac in capita succedere debeant;*  
*attamen quia nepotes ex communi Dd. opi-*  
*nione, non tam iure proprio, quam iure a*  
*parentibus suis ad se transmissio; succedunt;*  
*hinc nihil amplius capere poterunt, quam pa-*  
*rens eorum, ex cuius iure, vel in cuius lo-*  
*cum succedunt, percepisset. — Ceterum con-*  
*tra communem sententiam, nepotes iure pro-*  
*prio, non iure transmissio succedere, late di-*  
 sputat FORSTER lib. 4. c. 20. add. SVT-  
 HOLT diff. II. aph. 51. His verbis plu-  
 res seducti crediderunt, FORSTERVM &  
 SVTHOLTVM ea in opinione esse, ac si  
 nepotes diversarum stirpium, si soli essent,  
 in capita succederent. Sed vtrique iniuria  
 fit. Nam quod ad FORSTERVM attinet,  
 is in tr. de hered. quae ab int. deferuntur  
 lib. 4. c. 15. clarissimis verbis docet, solos  
 nepotes ex diversis filiis in stirpes succedere.  
 Deinde in lib. 4. c. 20. quaestionem inter  
 Doctores agitatum: *utrum nepotes, qui*  
*ex iure repraesentationis succedunt, ex sua*  
*propria, an vero ex patris persona succedant?*  
 tractat quidem, & vtriusque opinio-  
 nis argumenta refert, sed nihil decidit:  
 potius

potius simul optime n. 10. monet, quod illa disputatio hactenus non mutet successionem nepotum, sed quod ea semper fiat in *stirpes*. Quod *ultimum* etiam concedit I. O. SAM. FRID. BOEHMERVS in *diss. de nepotibus avo iure proprio succedentibus*. Francof. 1762. pag. 3, quamvis hic *nepotibus* ius successionis *proprium* vindicet. Haec igitur quaestio cum illa: *utrum nepotes in capita, an in stirpes succedant?* necessarium nexum non habet; potest enim quis ex iure proprio succedere, licet *virilem* portionem non accipiat, e. g. ascendentes, si *soli* sunt, in *lineas* succedunt, & tamen iure proprio vocantur. (§. 39. 40.) BOEHMER cit. *diss.* pag. 14. seq. conf. COCCII cit. *diss.* S. I. §. 7. Deinde SVTHOLTI verba haec sunt: *Quinimo licet omnes filii sint ante patrem mortui, nepotes tamen avo succedunt non in capita sed in stirpes, quod olim hac nitebatur ratione, quia descendentes iure suitatis tantum admittebantur, adeoque necessario praemortui parentis locum ingredi debebant. At postquam Iustin. d. Nov. 118. naturalem potius, quam civilem, rationem attendi voluit, debebant hi nepotes, utpote suo iure ex sua quisque persona venientes, in capita succedere. Sed Iustin. non satis acute semper vidit, quid consequens esset, sublata*



*iuris antiqui subtilitate.* Apertum est, SVTHOLTVM loqui de iure, a IVSTINIANO constituendo, non de iure ab eo constituto; de quo posteriore iam sermo est.

Postremo non ingratum erit lectoribus, errores quosdam, circa FORSTERI tract. excit. commissos, emendatos hic invenire. *Bibliotheca Lipeniana* edit. noviss. Lips. 1757. sub voc. *success. ab intestato* refert: GVIL. VAL. FOERSTER de *success. ab int.* Mogunt. 1607. 4. VAL. FOERSTER. de *success. ab int.* Heidelb. 1583. Errores in his deprehendo sequentes. 1) FORSTERVS scribendum est, non FOERSTERVS; 2) VALENTINI filius VALENTINVS GVILIELMVS, qui erronee GVIL. VALENT. cognominatus est, non scripsit tr. de *success. ab intest.*, sed pater VALENTINVS FORSTERVS. 3) Hic tractatus primum prodiit *Basileae* 1566. fol. apud OPORINVM sub rubro: *de successioneibus quae ab intestato deferuntur libri quinque*; non vero in capita aut sectiones, divisus est. Deinde nova plane, & priori multum auctior, capitibus & numeris marginalibus distincta, editio prodiit *Coloniae Agripp.* apud IOAN. GYMNICVM 1594. fol. sub rubro: *de hereditatibus, quae ab intestato deferuntur, libri novem.* Dedicatio subscripta est a VALENT.

LENT.



LENT. FORSTERO *Vormatiae* XXII. febr.  
1594. in qua prioris editionis *Basileensis* his  
verbis mentionem iniicit: *De his successio-*  
*nibus ab intestato ante multos annos iuuenis*  
*adhuc commentarium scripsi, quem deinde*  
*in lucem emisi - ad revidendum eum & au-*  
*gendum - me contuli. - Id sane effeci, ut*  
*duplo auctior sit: in quo volui ostendere, po-*  
*steriores meditationes a prioribus, matu-*  
*riores a iuvenilibus quantum distarent. Er-*  
*go haec editio de 1594. inter auctiores*  
*est prima, & dubito, vtrum Heidelbergae*  
*1583. hic liber vnquam excusus sit iuxta*  
*exemplar Basileense. Postea hic tractatus,*  
*vt LVCIVS in Catal. bibl. publ. moeno-*  
*francof. testatur, Moguntiae 1607. 4. &*  
*Francof 1615. 8. recusatus est; priores duas*  
*allegatas editiones ad manus habeo, sed*  
*duas posteriores nondum vidi.*



G 3

AVCTA-



## AVCTARIUM TERTIVM.

§. 129.

*Aenigma proponit: ubi & de HOMMELII  
Palingenesia.*

CAROL. FERD. HOMMELIVS in *Jurispr. numism. illustr. libr. 1. mon. 9.* picturam exhibet, cui aenigma subscriptum:

Diese Kind sind unsre Kind.


Ihre Väter unsre Brüder sind.

Und dieses doch in rechter Eh.

Nun rathe wie die Sippchaft steh?

Idem aenigma totidem fere verbis iam  
proposuit TITIVS in tr. von Erbfällen.  
Nordhauffen 1749.

HOMMELIVS id recte interpretatur  
de casu, si Titius Caii sororem, & Caius  
Titii sororem in matrimonium duxit: v. c.







Tota res aperta est, si regulam adhibe-  
mus: *Consanguinei duorum coniugum inter  
se non sunt affines.*

Iniuriam vero HOMMELIO fecit IO.  
HENR. CHR. de SELCHOVV. in der *Jurist.  
Bibliothek* 1. B. S. 51. vbi haec re-  
fert & iudicat:

7) Erkläret ein räthselhaftes Kloster = Ges-  
mählde, auf welchen zwei Weiber mit  
zween auf ihrem Schoos sitzenden Kin-  
dern abgebildet werden, mit der Unters-  
schrift:

Diese Kind sind unsre Kind,

NB. Ihre Väter Brüder sind.

Und dieses doch in rechter Eh.


Nun rathe, wie die Sippchaft steh?

Und löset solches S. 32. auf. Ziel  
Herr Hommel denn nicht auf die Ehe  
zwoer Schwestern mit zween Brü-  
dern?

Hoc non est ingenue recensere & aeni-  
gma felicius solvere, sed temerare. Fal-  
lacia tota latet in versu erronee descripto

Ihre Väter Brüder sind.

Quid



Quid enim aenigmatis & perplexitatis latet in matrimonio duarum sororum cum duobus fratribus? Nec ille casus ad aenigma ab HOMMELIO propositum quadrat:

Interim nec id silentio praeterire possum, aenigma illud tam perplexum adeo non esse, ut solutio illius desperata haberi possit. Ante plures enim annos eandem solutionem, quam HOMMELIUS profert, iam cognitam habui, & mecum plures. Interim ita exaggerari HOMMELIANA, nuperum nobis exemplum exhibet *Palingenesia*, ad quod opus aeternum, divinum, *scilicet!* perficiendum, *studiosus iuris, WIELINGII iurisprudentia restituta, TAVRELLIORVM Digestis*, (quae aliis etiam locis asservant bibliothecae, & cuius libri pretium nostris saltem regionibus ita nondum succrevit, ut vix quisquam adeo pecuniosus sit, qui sibi tantam rem comparare possit. Vnde metuendum etiam non fuisset, quod brevi in tempore nemo veram lectionem Florentinam amplius noverit, nisi *Palingenesia* HOMMELII eam servasset salvam.) SCHULTINGII *iurisprudentia antiustiniana*, oculis denique & manibus instructus, idoneus fuisset: ergo a tanto demum *Viro* non expectandum. Fallitur prae-

prae-

praeterea HOMMELIVS, dum putat, *in nulla facile syllaba erratum esse*. Mendas ego plures, quarundam saltim legum collationem instituens, observavi:

e. g. in

L. 203. de V. S.

L. 67. de Legat. & fideic. 2.

L. 77. eodem

L. 4. de gradib. & adfin.

L. 1. ad SCt. Turpill.

L. 7. de incend. ruin.

L. 59. de hered. instit.

L. 13. de Leg. Cornel. de fals.

L. 5. de requir. vel abs. damn.

L. 34. de statu liber.

L. 38. ad L. Iul. de adult.

L. 5. de O & A.

L. 56. de V. O.

L. 99. eodem.

L. 5. de adquir. rer. dom.

L. 13. de rebus dub.

in quarum una alterave adeo sex, quinque aut quatuor, simul occurrunt mendae: ut

H

proin-



proinde spondere queamus, multis men-  
darum millibus hunc *primum Palingenesiae*  
*Tomum* scaterere; HERTELIOQUE opus esse,  
qui, quo *compendii Schuzio Lauterb.* su-  
pra myriadem sphalmata emendavit mo-  
do, etiam purget *Palingenesiam*.

Vt dictis nostris fidem apud illos con-  
ciliemus maiorem, qui TAVRELLIORVM  
*Digesta* non possident, vitia in quibusdam,  
a nobis exempli causa allegatis legibus,  
obvia producemus.

I. L. 77. de *legat.* 2. quae sumta est ex  
PAPINIANI *Respons.* lib. 8.

*Tauvella lectio*

*Hommelia lectio.*

quoquo

quoque

moriatur

moritur

pervenerit

pervenierit

expectanda

expectanda

LuCIA

LVcia

Titium

Titius

II. L. 4. de *grad. & adf.* quae sumta est ex  
MODESTINI *Pand.* lib. 12.

dicit

di-

84810



εμειο

εμοιο

οκραιοεσσης

οκραιοεσσης

πη

τη

parentium

parentum

III. L. 203. de V. S. quae sumta est ex  
ALFENI *Dig.* lib. 7.

hominis

hominibus

dumtaxat

dumtaxat

cui

fui

vilici

villici

III. L. I. ad *Sct. Turpill.* (HOMMEL. *ad*  
*SCT. Trebell.*) quae sumta est ex  
MARCIANI *libro singulari.*

muneri

munere

desisterit

destiterit

senatus consulto

senatus consultum

diffidendo

diffidendo

V. Quid! quod in l. 59. de *bered. inst.* haec  
verba: *ex semisse beres erit. si adierit*  
*Seius Attii bereditatem*, plane omissa  
sunt in *Palingenesia*.

Estne vero hoc, *veram Tauvelliam lectio-*  
*nem publicare*, quam omnes corporis iuris

H 2

editio-



*editiones proterve mentiuntur? Estne hoc, puram putam litteram Florentinam, omnibus INTERPUNCTIONIBVS, SIGNIS atque etiam VITIIS scripturae retentis ACCVRATISSIME oculis legentium subiicere, vt vna emtione duplici emtores lucro potiantur? De interpunctionibus, & paragraphis, quae a TAVRELLIORVM plane differunt, nil dicam: quamvis rationem ego videam sufficientem nullam, cur TAVRELLIORVM non sint retenti; cum tamen partim ab exemplari TAVRELLII Florentino ACCVRATISSIME descriptam Palingenesiam promittat titulus: partim lectorum quoque, qui omnes vulgatam editionem iam possident, intersit omnino, interpunctiones & paragraphos, a TAVRELLIIS factos, habere:*

*Deinde generatim quaeso! cui vsui Palingenesia? Nonne sufficere poterant LABITTI & WIELINGII Indices? Quis enim affirmabit, leges ex eodem ICTI libro in Digesta sub eodem vel diversis titulis relatas eo modo, quo secundum ordinem, quem tituli in Digestis, & numerum, quem leges in quovis titulo, occupant, in Palingenesia se iam subsequuntur, olim cohaesisse? Ne de verbis quidem singularum legum, quod olim, in ICTI libro, vno spiritu pariter*

ter

ter cohaeserint, cum certitudine dici potest. conf. WAECHTLERVM in *Act. erud.* a. 1711. pag. 21.

Graphice in hanc rem scripsit, Henr. Christ. Freyherr von Senckenberg in den Gedanken von dem Gebrauch des uralten deutschen bürgerlichen und Staatsrechts 2c. Jrsfurt 1759. Kap. 2. S. 24. -

Man wolte so gar die alte, durch Justinian zergliederte, allenfals in novam speciem gebrachte Juristen zusammen setzen, und diese dem Narren, nicht aber der Sache nach ihnen gehörige Stellen wieder in eine Gestalt bringen, um dadurch ihre sämtliche Gesetze ie eines aus dem andern, zu erläutern. So viel ich weiß, ist Cuiacius der erste, der daran gedacht hätte.

Labittus in seinem Indice legum meynete Wunder, was er thäte, da er iede Gesetze nach denen Verfassern in Ordnung gebracht.

Mein Professor, Gundling zu Halle, verriethe uns dieses Kunststück mit vielem Worte



Wortgepränge. Der Labittus wurde dar-  
auf häufig gekauft. Der Präsident von  
Knuckershoeck sagte mir hingegen in dem  
Haag, daß er nichts davon halte.

Dahingegen wußte der kurz verstorbene  
gelehrte Wieling sich in iurisprud. rest.  
hierauf etwas zu gute zu thun.

Was will man aber damit machen? da  
die emblemata Triboniani alles verderben,  
Worte verdrehet, zusammen gesezet, ia gros-  
se Fehler vorgegangen sind.

Interim sententiae huic *Senckenbergia-  
nae* non per omnia subscribo, ipsemet de  
utilitate *Indicis Labittiani & Wielingiani*  
satis convictus. Sed in his Indicibus sub-  
sistendum fuisse, & novum illud iuris roma-  
ni corpus, sub *Palingenesiae* nomine edi-  
coeptum, superfluum plane, vitiosum &  
nullius pretii opus esse, non temere ar-  
bitror.

Opus, quod BRENCMANNVS &  
BRUNQVELLIVS imo & LEIBNITIVS  
meditati sunt, a *Palingenesia* HOMMELII,  
plane diversum fuit, & institutum BRENC-  
MANNI & BRUNQVELLII non eo tantum  
teten-




tetendit, vt *opera* (evolvendi scil. dispersa ex eodem unius Icti libro loca) *minueretur* & ipsa *legum verba oculis subiicerentur*, pro-uti Lectoribus persuadere vult HOMMELIVS.

Quasnam insuper haec res, *Palingenesia* scil. *Hommeliana* seu potius *Kronbiegeliana*, secum habet *difficultates*, quibus leviter degustatis atque animadversis BRENCMANNVS & BRVNQVELLIUS coeptum opus statim dereliquissent?

Nescio denique, vtrum HOMMELIVS his verbis magniloquis: *Igitur quousque iurisprudencia romana stabit, iureconsultis criticis, qui omni tempore regnabunt, HAEC SUPPELLEX ERIT ADEO NECESSARIA VT EA VIX SINE PVDORE CARITVRI SINT*, recte iudicaverit, aut vere divina-verit. - -

Manum potius de tabula! ne pluribus circulos *reipublicae litterariae dictatorum* in laudanda, extollenda & magnificanda *Palingenesia*, mirifice conspirantes turbemus, horumque iram & invidiam in nos concitemus.



## Errata.

- Pag. 11. in lin. 8. adde: *ex Nov. 118.*  
pag. 53. lin. 12. pro *bic* lege *buc.*  
pag. 62. ex lin. 8. *resque* transfer in lin. 7.  
pag. 78. lin. 2. dele *sen*  
pag. 82. lin. 3. pro *leigtimo* lege *legitimo*  
pag. 84. lin. 19. pro 214. lege 114.  
pag. 89. lin. 19. pro 133. lege 123.  
pag. 90. lin. 25. dele *contra aut*  
Reliqua, si e. g. n pro u aut u pro n  
erronee positum est, quivis, etiam  
non admonitus, emendabit.

155  
Trakt Januar 1694

t =

